

K22/140


Volle 8



HERBER
SITTA
NAE
SACRVM
GLORIA

CASARIS ET REGVM
EFFIGIES DIADEMATA
TVRRES

CEPTRA CRUCES
STRASARS, FIDES
DEDIT



MONIMENTUM
Historico-Panegyricum,
 tam antiqui,
 quam gloriosi Stemmatis,
Equitum, Baronum,
Comitum,
 &
Sacri Romani Imperii
PRINCIPIS
ab Herberstein.

WRATISLAVIAE,
In Heredum BAUMANNIANORUM Typographia
exprimebat GODOFREDUS GRÜNDER.

Anno M. DC. LXXX.

Deer: JIV. 18

II 388873

II 388873

MINIMENTON
Hildegardis Bingenensis
magisterii
dicitur Sibylla germanica
Hieronymus Brionius
Couturier
Secundum Romani Imperium
Principis
ad Hereditatem.



Na Hrastniku pri Dunaju v Ljubljani
člubnika Gospodarskega sveta

XXXI 1874

21. VIII. 1990

N 990 00 674

ILLVSTRISSIMO ac EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO,

O C O M I N O

JOANNI BERNARDO,

*SACRI ROMANI IMPERII
COMITlabHERBERSTEIN,*

BARONI in Neyberg, &

Guttenhaag,

*DOMINO in Lanckovitz, Glösen,
ac Steubendorff, &c.*

*Hereditario Camerario, & Dapifero
CARINTHIAE;*

*SACRATISSIMÆ CÆSAREÆ, RE-
GIÆQVE MAJESTATIS*

LEOPOLDI,

CONSILIARIO INTIMO,

C A M E R A R I O,

nec non

Ducatus Glogoviensis

*CAPITANEO PLENIPO-
TENTIARIO.*

Illustriſſime, ac Ex-
cellentissime Comes,

Domine Gratiolifſſime.



Nec eſſum erat, ut ab-
avorum, & tritavo-
rum Tui per Orbem
universum celeber-
rimi Stemmatiſ pro-
meritam apud posteros gloriam
præmitterem, ut ad Tuam grada-
tim pervenirem : tot enim tanti-
que

que Heroes , quà sago , quà toga inclyti , ac in virtutum palæstra adorem adepti , qui omnes suum in TE reciprocant splendorem , in Familia hac illustrissima TE præcessere , ut eorum pertexere catalogum immensi sit operis ; originem verò tantæ Profapiæ ex antiquissimis eruere monumentis , ingenio majori competit , quam humano .

Palladem & armatam , & togatam Tuæ generosissimæ Propaginis genuinam esse Matrem , testantur illustria , quæ in hac compendiosa continentur Iliade gesta , partim à consilio & industria , partim è magnanimitate ac fortitudine , partim etiam è zelo pietatis , religionisque derivata .

(3)

Qui-

Quicunque mortalium insignia
vitæ ecclesiasticæ, ac religiosæ e-
xempla, Martialis heroico instin-
ctu excitata ingenia, Melitenses
Romanæ Unionis, & Ecclesiæ Ca-
tholicae tutelares stadiodromos,
Ordinis Equestris Teutonici ani-
mosos palæstritas, Episcopalis In-
fulæ & Ducalis emporii fasces, &
tam SUMMO TERRARUM CA-
PITI, & gloriofissimæ DOMINI
ARCHIDUCUM AUSTRIÆ,
quàm toti SACRO ROMANO
IMPERIO fideles Ministros in fa-
stigio gloriæ spectare desiderave-
rit, conjunctim hæc omnia in hoc
benè meritis famosissimo Stemma-
te, quemadmodum in compendio,
aut potius in ipso Bellonæ, ac Mi-
nervæ gremio reperiet, ut illud ju-
re meritoque sphæræ cœlesti, vel
si ter-

siterrenis inh erendum , spatiofis-
simo palatio , quod innumeris pro-
p  suffultum columnis , comparare
fas sit.

Liceat nobis cum tua venia EX-
CELLENTISSIME COMES , hoc
ingredi peristylum ; non ut inde
quid honoris ac florentis glori  de-
cerpamus , sed ut tantorum , qui TE
pr cesserunt , Heroum imagines
intueamur , eorum semit  Virtu-
tis impressa vestigia veneremur , &
tam eximia lat  patentis Imperii
instrumenta , quasi oracula , admi-
remur .

Mihi ver , quantumvis immer-
to , hanc elargire gratiam , ut rau-
c  quidem & incult  voce , sed ani-
mo in TE submisso plenus , pane-
gyrim

gyrim Heroum revolvam , vel o-
culis potius Spectatorum aulæa
peristylî , in quibus expressæ ha-
bentur imagines , exponam inter-
pres, industriè contemplanda. Vi-
reat plus ultra Tui nominis,& Pro-
sapiæ gloria ! floreat ! perennet !
quod intimè vovet

ILLUSTRISSIMÆ
TUÆ EXCELLEN-
TIÆ

devotissimus Cultor

EPHRAIM IGNATIUS NASO
à Leuenfels.



Ill^{mo} et Excell^{mo} Domino
Sac: Rom: Imp: Comiti ab
in Neidberg et Guttenhaag,
Glösen, et Steübendorff,
Danifero Carinthia. Sac:
Consiliario, Camerario,
viensis Capitaneo



D^{no} Joanni Bernardo
Herberstein Lib: Baroni
Domino in Lanckowitz
Hereditar: Camerar: et
C^as: Majast: Intimo
nec non Ducatus Glogo,
Plenipotentiario.



Ad Lectorem Præfatio.

Andide ac bene vole Lector. Monimentum præsens Historico-Panegyricum, tam antiqui, quām gloriōsi Stemmatis EQUITUM, BARONUM, COMITUM, & Sacri Romani Imperii PRINCIPIS ab HERBERSTEIN in duas partes, quas compendiosa quædam præcedunt Prolegomena, antiquitatem, Insignia, titulosq; toti celeberrimæ Familiae competentes continentia, divisum est.

PARS PRIMA promiscuè complectitur EQUITES, BARONES, ac COMITES ab HERBERSTEIN de seculo in seculum: observato potius temporis, quām linearum Ascendentis vel Descendentis Ordine.

PARS SECUNDA exhibet lineam DYNASTARUM ab HERBERSTEIN, à possessione Arcis Herbersteinianæ in Styria pro manantem, ordinatamq; deducit seriem illustrium virorum ac Heroum, sphœræque genealogicæ imponit coronidem.

Et, cùm libri primordio, præclari cuiusdam Sculptoris dextra præfixerit frontispicium, quod explicatu dignum censebatur, ad imprimendum memoriam magis idoneam re-

rum in hoc opere existentium notitiam, brevem illius explanationem præmittimus.

Clavâ armatus Hercules, magnanimitatem, robur virilis fortitudinis, ac fidelitatis non unquam temeratae constantiam; quibus olim talentis ac virtutibus eminebant Equites, Barones & Comites amplissimæ hujus Prosapiæ, & adhuc gloriosi triumphant, in adumbrato indicat schemate: Pallas instrueta ægide & hastâ, quâ literarum, quâ armorum peritiam, rerum politicarum experientiam, maturitatem judicii, intellectus ac consilii; quibus olim floruerunt innumeris ex illustrissima nati propagine, florent & floribunt in aulis Regum ac Cæsarum: Pietas, zelum religionis, christianæ devotionis monumentum, humilitatis excellentiam, moderatae temperamentum indolis, omnium virtutum confortia; quibus olim dotibus se conspicuos reddidere, tam in statu Politico, quam Religioso ac Ecclesiastico, quorum modernus adhuc rerum Oculus complura videt exempla, admiratur, veneratur.

Icones alterius stationis diversas denotant scientias, animi prudentiam, laborum industriam, candorem fidelitatis, ingenii subtilitatem, artemq; ritè gubernandi: per quæ talents

lenta plurimi hujus augusti Stem matis eva-
re, ut coronatorum Capitum Intimi Consul-
tores, Legati, Ducatum ac Provinciarum
Gubernatores ac Satrapæ, in aulis Monar-
charum, usque ad ipsam supremam aulæ Præ-
fecturam, in variis dignitatum ac Ministerio-
rum subselliis; In bellicis verò Expeditioni-
bus Legionum Antesignani, Chiliarchæ, Su-
premiq; Campi Duces ac Generales, summi
honoris gradus consequerentur.

Penes superiora Insignia, sinistrum latus
antiquam ac mutilatam exhibit statuam, in
cujus pectore expressa sunt hæc verba: AD-
HUC DURAT; per quam antiquissima
DOMUS HERBERSTEINIADUM de-
claratur, coram qua Tempus, alis præcin-
ctum consistens, hucusq; eam arrodendo,
non consumpsit.

Ex utraque frontispicij parte, tum superi-
us pietatis, tum subtus jacentia Martis & ar-
tis instrumenta contestantur, non solùm ar-
mis, sed etiam literis hanc famosissimam vi-
guisse Familiam, quæ à compluribus propè
seculis Heroes, Equites Melitenses atq; Teu-
tonicos, sacrorum Ordinum eximios Præsi-
des, diversarum Ecclesiarum Cathedralium
Prælatos & Canonicos, imò etiam Sacri Ro-

mani Imperii Principem, Episcopum Ratisbonensis Diœcesios, germanum nempe fratrem JOANNIS BERNARDI senioris Comitis ab HERBERSTEIN, qui primus in Silesia fixit domicilium, nunquam improlis, sed usque fœcunda genuit, qui omnes vigore talentorum æternas sibi, suæque Prosapiæ pyramides erexerunt. Ab infimo loco, usque in sublimitatem per successionem collocata Insignia, denotant meritorum incrementa, quibus etiam successivè per secula, à primo antiquitatis clypeo crevere auctoramenta Insigniorum. Suprema, hodie Comitibus propria, ab aligeris famæ buccinâ instructis coronantur infantulis, cum votio, ut hæc secundissima Domus ulterius floreat, vigeat, & contra Invidorum aculeos & tentamina semper triumphet.

Vale Lector candide, huic meo fave conatui, & tua mecum adde vota, sed sincera,

DEVS
PRO SERIS NEPOTIBVS ET POSTERIS
VLTERIVS CONSERVET PROSAPIAM!

Stem-



STemmata magnanimis clarata
Heroibus ævo
Et priscas Proavum ceras, exor-
dia laudis
Grandia, laurigeros Titulos, insi-
gnia Gentis,
Quæs Virtus se Marte potens videlicibus armis
Extulit & pariter Sapientipotentis Athenæ
Consiliis Studiisq; catis limavit acumen,
Hactenus immenso frustra tentavit hiatu
Condere tempus edax & cœca Nube vetustas.
Herbersteiniadum viget indeleibile seclis
Nomen, & æternis jam dudum didita fastis
Gloria, ceu reliquos intermicat Hesperus ignes,
Et flamma majore polum fratresq; figurat,
Sic splendore suo factisq; ingentibus orbem
Implevit, laudumq; ferax divesq; tropæis
Duratura sui monumenta reliquit honoris.
Antiquis Herulis prima incunabula famæ
Auspiciumq; dicat gens Marte vel Arte celebris.
Forte dies aderat, qua Gwelfus equestribus armis,

Instruxit Bavaris ludos, jamq; orbita secli
Quinta fluit, stetit in campo imperterritus Heros
Anselmus, primamq; diem, libamina quanta
Laudis inocciduæ! generosis intulit ausis,
Et seris memoranda nepotibus acta peregit.
Fortunata Domus radios sparsura per Orbem!
Nec tot durateus fudit de ventre Caballus
Belligeras animas, nec tot stupuistis Athenæ
Custodes legum, Patriæ florentis Atlantes.
Livor abi, saniemq; tuam linguaeque venenum
Comprime, nec mergent lethea silentia nocti
Facta antiqua virum longamq; ab origine Gentem.
Otto dictus Eques, Famæ surgentis honores
Perpetuat, virtute potens & Amator honesti;
Mox series immensa Equitum fulgentibus armis
Intrepidos volvens animos, undansq; cruento
Sæpe triumfatæ diffregit cornua Lunæ.
Ast citius Lybicas numero comprehendere arenas,
Quam memorare queam devicto ex hoste tropæa.
Non secus ac primum tenui serpit pede rarus,
Hospitibus tumefactus aquis, jam gurgite pleno
Æstuat & flumen vasto cum murmure spumans
Attonitis spatiatur agris ripasq; relinquit;
Herbersteiniadum sic prima cacumina Famæ
Virtutum monumenta struunt: fundamina sternit
Religio, ornatum generis decus adserit; Arcem
Quadrato imponit lapidi Mavortius ardor

Et

*Et tessellato vult scintillare nitore.
An Sol huic operi mage quid durable vidit,
Quod non ira Fovis, nec edax abolere vetustas,
Vulcanusq; furens poterit, vel saxeus imber?
Cerno paludatæ gemmata insignia vestis,
Lemniscos, phaleras, vittataq; culmina mitræ
Regales apices, trabeas, fascesq; curulesq;.
Enthea Posteritas, justâ quæ præmia lance
Dividit, excelsos hic prodigialiter ortus
Mansuris duxit titulis, Aulæq; dicavit.
Terrarum fatalis bonos, Domus Austria vidit
Herbersteiniacos devota mente Ministros
Marte Togaq; pares, quin ipsa Ecclesia vidit
Johannem gestare pedum mitramq; Georgum
Imperii Princeps celso est qui nomine dictus.
Quanta Palatinis cumulata est gloria Genti
Officiis? vicinus honor Prætoria circum
Præfetos stupuit, Cameræ tabularia, fidos
Laudavere Viros, memorat secretior Aula
Judicium capitale, sagax in rebus agendis
Consilium, constansq; per ipsa pericula pectus.
Legatos crepera obtenebrabo nube silenti?
Sigismunde, Tuum, quâ Soloriturq; caditq;,
Nomen erit notum, trans æquora transq; recessus
Tethyos, ah! quoties Summus Te interprete Cæsar
Fœdere complexus torpentem frigore Moschum est;
Te Cham Tartaricus, quis angvine pastus equino,*

Audiit,

Audiit, & stupuit manantia neclare verba.
Te quoque, Adame, canam peltatæ ad limina portæ
Nestora mellifluam Phœbi Svadæq; medullam!
Quos Oratores generoso hoc Stemmate natos
Teutonia adspexit! Quoties ad fædera missi
Regnorum Europæ! Quot non rexere Ducatus
Præsidio? Thalamum Augusti sacrumq; cubile
Muni vere alii, stabuli pars altera curam
Perpetuam gessit Præfecti nomine clara.
Verùm dum tacita demiror mente togatæ
Munia militiæ, mihi fulmine fulminat aures
Sangvineus Mavors, clypeiq; fragore Camenam
Esse jubet memorem cantatricemq; disertam.
Heroum, quos ille Orbi Imperioq; reliquit.
Hectora quis nescit, vel cuī non dictus Achilles?
Vivet in æternum Romana duellica virtus.
Herbersteiniadum palmaris adorea famæ
Strenuitate manus Bellona judice vincit.
Igneus his vigor armorumq; cupido perennis,
Dulce putant, Patriæ tepidum sacrare cruento
Lætantumq; habitu densos stimulantur in hostes.
Orbis testis adest, noverunt Dalmata rura
Explicitæ cūm jam Legiones agmine aperto
Dispositæq; acies miscerent horrida bella.
Vos Occisores Populorum, Fulmina Martis
Induperatoris viðricia signa secutos,
Mnemosyne dudum, Textrix operata Minervæ,

In se-

Inseruit peplo, seu turbinis instar in hostem
Delati, generosam animam misit in auras,
Sive pharetratæ fregistis spicula Gentis,
Christiadumq; decus patrii servastis in armis.
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,
Nuncia quadrisidum cantabit Fama per Orbem,
Ardua facta virum bellataq; grandia bella.
Stirpis Fulæ laudatrix Roma superbit,
Et Decios Fabiosq; refert, fortesq; Camillos:
Herbersteiniadum meritis Germania gaudet.
Ipsa Augusta Domus, tot secula testis honorum
Arbitra Fortunæ est, numero in Stemmate nullas
Fœdifragus, fidei q; carens, contemptor honesti;
Obsequio Dominum veluti prece Numen ad aras
Conciliant, animamq; obstrictam in Cæsare ponunt.
Cernua si quando Pietas pulvinar adorat,
Haud immunis abit, vix Sparta illustrior Aulæ
Eminet, in quâ non numeretur pagina honorum.
Herbersteiniacis; vasti prius æquoris undas
Atq; tridentiferi conchata crepundia Patris
Dixero, quam tantis Heroibus apta vel æqua.
Triste fremat Livor, tamen insuperabilis Arcis
Gloria, felices lapides, vernantia saxa.
Duratura magis, quam bractea clara metalli
Persidos aut gazæ, vel quas transmittit Ebos
Conchigenas baccas, pretiosaq; germina Ponti,
Sardonichis, Smaragdis, Adamantibus atq; Tyropis

1000

Pra.

Præripitis palmam, structuræq; vestra perennat.
Pyramidum statuas, ductos super astra Colossos,
Et quæ plura tenet miracula barbara Memphis
Fadit et, hinc speculo mage formosos obeliscos.

Nam posuit primum Pietas, tenet altera pondus
Æternæ Fidei soror: hinc Prudentia monstrat
Fatorum speculum, sacro vicina sigillo
Fure tacere jubet, præstare silentia rebus.
Mavors duritiem, placidæ decoramina Pacis
Promittunt Artes, lemniscatasq; corollas.
O gemmæ, lapides, fortunatae q; columnæ!
Arcis inexhausta totus pulcredine captus
Abripior, furor intus agit, præcordia Phœbum
Spirant, fatidico mugit Cortina recessu.

Herbersteiniadum Flos & genus ipse Deorum
Jan-Bernhardus erit plectro majore canendus:
Pareo, sed meritis longe inferiora locutum
Adspice, Magne Comes, clemens allabere cœptis,
Conatus tenues fastigia celsa levabunt.

Dædala divinæ Genitrix Natura figuræ
Parturitura novos Heroas, Lumen secli,
Hospitium in digno metitur corpore dignum,
Pulcra habitacula animæ, mentis simulacra serenæ.
Gratior hinc nobis formoso in corpore virtus,
Flaccida quam Codri pellis vel pauperis Iri.
At teneris, Excelse Comes, clarescere magnis
Auspiciis, laus est. Alcides comprimit angues

Intre-

Intrepidus cunis; sic & ventura potestas
Fulgit in Ascanio; deflet Pellæus, honorâ
Nil sibi vincendum Patris virtute relinqui:
Sic veteris retinens cœlestia pectora Gentis,
Maxima moliris; nondum lanugine primâ
Vernabant vultus, prænuncius indolis altæ
Ardor stare loco nescit; nunc mitis olivæ
Insudans studiis, quicquid Romana vetustas,
Quicquid Graja dedit, rapiebas alite mentis,
Nec minus & duris quæsitum robur in armis:
Seu caput abdideras cristata casside pennis,
In galea formosus eras, clypeumq; vel aurum
Loricæ indueras, clypeum sumisse decebat.
Seu validis vibrare hastilia stricta lacertis
Nitus eras, felix ictus certiq; petitor
Vulneris, haud unquam vacuas discessit in auras.
Cùm vehereris equo, risit Bellona recursum
Flexipedis manni, simulacraq; Martia ludens
Ingentem vultu spirabas totus Achillem.
Non aliis quisquam dominanti notior Aula,
Cæsareum poterat sic emeruisse Favorem.
Vesticipes lanugo genas nondum integra obumbrat,
Æmula diversis studiis Te castra reposcunt,
Te cupit Aula frui; divinæ oracula vocis,
Custodem Patriæ Servatoremq; verendis
Legibus instituunt: lætata Silesia vidit
Mille loquax linguis, quæ Fama edixerat olim,

)))) (2

Quan-

Quantus Aristides & fandi flumine Ulysses,
Libramenta statu fulciret pondere redi.
Curia, supremum quæ curat rite Tribunal,
Floriparum ingenii Ver, Auctumnumq; feracis
Consiliistupuit; mens callentissima quicquid
Hauferat, insuccum, sanguen, nervosq; recoxit.
Sancta Themis frontem limbo velata pudicam
Et gladium & lancem, genuina insignia Divæ,
Obtulit, & nostri dulcissima portio cordis,
Dixit, habe munus, sancti Defensor honesti
Vimq; dolumq; procul nostris à finibus arce.
Si vel Pegaso raperer super æthera curru,
Exequarbant laudes, anabathraq; splendida Fama,
Queis tua Te virtus vasto mactavit in Orbe.
Puncta Tribunalis, sacri quin puncta Palati
Consilio & virtute meres, mox altior Ordo
Et major succrescit honos, sub Principe Mundi
Splendida Bresliaci susceptas frena Ducatus
Et caput & Rector celo plaudente vocaris.
Gaudet Eques, gaudent castæ delubra Themistos,
Et leges ponunt senium à ferrugine puræ,
Te Conjo rursus Terras Astræa revisit.
Non, Arpinatis si torrentissima fandi
Copia suppeteret, Tua per præconia vectus
Digna parem, exundans inopem me copia reddit.
Et veluti laurus nemoris decus atq; voluptas
Nimfarum superat frondentis brachia sylvæ

Ater-

Æternis foliis strophiq; virentis honore;
Est arbor dilecta Claro dilecta q; Musis,
Hic Phœbus requiem & citharæ suspendit amena,
Quisq; favet, sedans gratam in fervoribus umbram:
Sic quoque, Magne Comes, fulgescens Vnio Gentis,
Deliciæq; hominum, sacrati Cæsaris Atlas
Fatidica audisti Laurus, tam flore comarum,
Quam Virtutis odore potens, umbracula fessus
Et conclamati certam sensere salutem.
Latè conspicuo florebas vertice supra
Invidiam evedus, gallinæ filius albæ.
En! Sol Austriacus, quo non radiantius Astrum
Orbis habet, Te luce novâ claroq; sereno
Vestit, Glogoviæ exurgis Capitaneus oræ,
Transscribitq; Tibi mitis Clementia fasces.
Præterea qui rarus bonos concessaq; paucis
Gratia, Consilio secreti Numinis Aula
Quod colit, allectus, succrevit vivida sertis
Laurea successusq; novis successibus aucti.
Quo Procerum plausu, quâ non stipante caterua
Ingrederis? Tibi flore viam, Tibi limina spargunt
Iride, Narcissis, Violis, nimboq; Rosarum.
Insonat æthereis ex orbibus undiq; Pæan:
Jan-Bernhardus adest, Comes alto sangvine cretus,
Heros magnanimus, certissima Gloria secli,
Sublimis meritis, Virtutum culmine felix,
Vivat! & è nostris illi Deus augeat annos,

)()()3

Devoti

De voti asserimus, jurati dicimus omnes.
Non saltem humani cumulas fastigia voti
Et desideriis partes divisus in omnes
Sufficis, armantur leges, sellæq; curules
Fustitia splendent, Arx exuit ipsa veternum
Vermiculato etenim fulgent Emblemate muri.
Dimensis spatiis concurrunt undiq; frontes,
Non hiat aut horret quicquam, non angulus impar
Artificem mutilat per dissona symmetra normam.
Ast intertextis spirant asarota figuris,
Viventes animas lux evomit alta colorum,
Et calcatur Onyx, Hebenus Mareotica postes
Incrustat, decorisq; opifex labor omnia vincit.
Descripsit radio totum qui gentibus Orbem
Vel Strukturarum condens Vitruvius artem
Cedit & inventæ laudat compendia formæ.
Hortorum expediam cultus? Se prodiga Flora
Deliciasq; suas, peregrinæ cymata stirpis
Monstriferos ortus, magnæ miracula Matris
Et toties alio gaudentes sidere plantas,
Dedicat, inq; tuis crescens formosior ulnis
Amplexu immoritur fragrantem animam exhalando.
Quis Tibi non vitam, Stirps illustrissima Divum,
Quis non aurea fata, diemq; salutis amœnam,
Prosperitas opes obstricto corde prectetur?
Me spatiose Tui delassat Gloria Circi:
Nec Phocis si tota suas egurgitet Vndas,

Par

Par Epos expromam. Nam contra hō vela fāventi
Ne Zephyro obſſtam mediāq; relinquerā arenaā.
Jan-Bernharde Comes, quod ſtemmata celsa, genusq;
Semideūm à gratā vis Posteritate revolvi,
Facta heroacani, laudes plaususq; meretur.
Ast quod divinis Virtutibus afferis ortus,
Et proprio Ingenii radio famosa serena
Atria Majorum, veteriq; in imagine ſpiras
Tot Proavos Atavosq; ſimul, compendia Famæ
Siftis & Iliaden prudens nuce claudis Homeri.
Vivet opus, vivent generosi pectoris ausus,
Phœnicesq; dabit Stirps Herbersteinia ſeclis.
Fallor, an ingentes animas prodire ſepulchris
Et grates libare Tibi, Excelſiſſime Semo,
Præſago calamo ſpedio haud incognitus augur.
His meditamentis, queis ſufficiſ arduus Heros,
Optio ſuccedit Naso, qui gente Sileſius,
Ingenio æquiparat rorantia verba Peligni
Vatis, & in numeros liqueſit fluidiſſimus amnis.
Hic, velut & fas eſt, penetrabit in abdita rerum,
Annales repetet, tenebroſa volumina Secli
Excutiet, gentis memorandæ præco diſertus.
Et licet aſtra petens jam celum totus anhelet,
Contemnens animo fluxæ ludibria ſortis,
Non minus ipſe ſibi parat indelebile nomen
Dum Stirpem Divis oriundam pronus adorat.
Nil mihi jam reliquum, quam votis addere vota:

Her-

*Herbersteiniadum cedris vivacior altis
Florescat genitura solo, documenta nepotes
Excelsæ capiant Fortunæ, imitamina laudum
In proprios aptent usus; Te Numinis instar,
Jan-Bernharde colet non tantum superior ætas,
Sed Stirps ipsa Tibi sub gratæ mentis acerrâ
Innumeræ laudes & præmia digna refundet.*

Prægloriosissimi Herberstei- niorum Stemmatis

Wratislaviæ die 9. Décembr.

Anno 1680.

admiratione defixus ap.
plaudetbam

HENRICUS Mühlpfort.

Seriem Equitum , Baronum ac
Comitum ab Herberstein , qui
Imperatoribus , Regibus , & Archi-
ducibus gloriosissimæ Domûs Au-
striacæ , in sublimibus Aulæ ministeriis , officiis
atque legationibus , solerter navarunt operam , va-
riosq[ue] præminentia[re] dignitatisq[ue] gradus , tam in
Ecclesiastico , quām **Aulico** , quā **Poli-
tico** , quā **Militari Statu** consecuti sunt , ut
candido Lectori , eorundem certus constet nume-
rus , sub quatuor Titulis Principalibus , nec non
specialibus per diversas classes subjunctis , pro dire-
ctione apponimus .

ECCLESIA- STICI.

EPISCOPUS PRINCEPS.

Reverendissimus ac Celsissimus Princeps , &
Dominus Dominus Joannes Georgius Co-
mes ab Herberstein , Sacri Romani Imperii Prin-
ceps , Episcopus Ratisbonensis Ecclesiæ .

A **CA-**

CANONICI.

Joannes Georgius Comes ab Herberstein,
Canonicus Passaviensis Ratisbonensis ac Vratislaviensis.

Joannes Bernardus Comes ab Herberstein
Canonicus Salisburgensis & Passaviensis.

Joannes Franciscus Ferdinandus
Comes ab Herberstein, Canonicus Passaviensis
& Ratisbonensis.

Sigismundus Christophorus Comes
ab Herberstein, Canonicus Ratisbonensis, & La-
bacensis Præpositorus.

Joannes Franciscus Comes ab Herber-
stein, Canonicus Vratislaviensis.

Sigismundus Comes ab Herberstein, Cano-
nicus Olomucensis.

Franciscus Comes ab Herberstein, Canonicus
Passaviensis ac Ratisbonensis.

Ernestus Fridericus Comes ab Herber-
stein, Canonicus.

RELIGIOSI.

Joannes Ferdinandus Comes ab Herber-
stein, Societatis JESU Rector, & Viennæ Do-
mî Professor Præpositorus.

Georgius Sigismundus Comes ab Her-
berstein, Ordinis Prædicatorum Divi Dominici,
Provin-

Provinciæ Austriæ Provincialis Magister.
Joannes Carolus Comes ab Herberstein,
Ord. S. Benedicti Patriarchæ, ad S. Lambertum
superioris Austriæ Professus.

EQUITES MELITENSES.

Ludovicus Baro ab Herberstein.

Joannes Joseph Comes ab Herberstein.

EQUITES TEUTONICI.

Fridericus Baro ab Herberstein, Eques, simul
que Commendator.

Joannes Henricus Comes ab Herberstein.

Carolus Comes ab Herberstein.

Joannes Ferdinandus Comes ab Herber-
stein.

AULICI.

SUPREMI AULÆ, seu PRÆ-
TORIO PRÆFECTI.

Gulielmus Baro ab Herberstein.

Casparus Baro ab Herberstein.

Georgius Sigismundus Baro ab Herber-
stein.

SUPREMUS CAMERARIUS

CUBICULARIUS.
seu
CUBICULARIUS.

Casparus Baro ab Herberstein.

SUPREMI AULÆ MARE-
SCHALLI.

Bernardinus Baro ab Herberstein.

Christophorus Mauritus Baro ab Her-
berstein.

Joannes Maximilianus Senior Comes ab
Herberstein.

Joannes Maximilianus Junior Comes ab
Herberstein.

SUPREMI STABULO PRÆ-
FECTI.

Gulielmus Baro ab Herberstein.

Bernardinus Baro ab Herberstein.

AULICÆ CAMERÆ PRÆSI-
DES, seu SUPREMI ÆRA-
RIO PRÆFECTI.

Sigismundus Baro ab Herberstein.

Georgius Baro ab Herberstein.

etiquæ

s A

SU-

SUPREMUS VENATIONUM
PRÆFECTUS.

Adamus Baro ab Herberstein.

CAMERARI, seu CUBI-
CULARII.

Sigismundus

Sigismundus Fridericus

Georgius Fridericus

Gothardus

Otho Henricus

Georgius Sigismundus

Adamus

Carolus Eusebius

Ferdinandus Ernestus

Christophorus

Georgius Rupertus

Bernardinus

Joannes Fridericus

Joannes Bernardus Senior Comes ab
Herberstein.

Joannes Maximilianus Senior Comes ab
Herberstein.

Barones ab Herberstein.

Comites ab Herberstein.

Joannes Fridericus
Joannes Bernardus Junior
Ernestus Fridericus
Joannes Maximilianus Junior
Joannes Joseph
Joánnes Georgius
Joannes Ferdinandus
Erasmus Fridericus
Georgius Sigismundus
Georgius Gothardus
Ferdinandus Ernestus
Adamus Quintinus
Joannes Gulielmus
Ferdinandus
Fridericus Hartmannus
Sigismundus Latzko
Georgius Jacobus
Franciscus Josephus
Franciscus
Franciscus Christophorus
Maximilianus Sigismundus

lors

A 2

SU-

SUPREMI REI ARGENTARIÆ
PRÆFECTI.

Georgius Ernestus Baro ab Herberstein.

Joannes Georgius Baro ab Herberstein.

SUPREMUS CULINÆ
PRÆFECTUS.

Georgius Baro ab Herberstein.

POCILLATORES seu PIN-
CERNÆ.

Sigismundus

Joannes Fridericus

Otho Henricus

Joannes Jacobus

Wolfgangus Jacobus

Ferdinandus

Joannes Casparus

Reichardus Comes ab Herberstein.

Barones ab Herberstein.

STRUCTORES MENSÆ
CÆSAREÆ.

Georgius Baro ab Herberstein.

Leopoldus Baro ab Herberstein.

Georgius Rupertus Baro ab Herberstein.

Geor-

Georgius Bernardus Baro ab Herberstein.
Adamus Quintinus Comes ab Herberstein,
DAPIFERI IN COMPLU-
RIO NUMERO.

POLITICI.

CONSILIARII INTIMI.

Sigismundus Baro ab Herberstein.

Casparus Baro ab Herberstein.

Sigismundus Fridericus Baro ab Her-
berstein.

Joannes Sigismundus Baro ab Herber-

Stein.
Joannes Maximilianus Senior Comes ab
Herberstein,

Ernestus Fridericus Comes ab Herberstein

Joannes Bernardus Junior Comes ab Her-
berstein.

Joannes Maximilianus Junior Comes ab
Herberstein.

Joannes Fridericus Comes ab Herberstein.

LEGA TI.

Sigismundus Baro ab Herberstein.

Adamus

Adamus Baro ab Herberstein.

Carolus Baro ab Herberstein.

Georgius Sigismundus, olim Comes ab
Herberstein, Ord. S. Dominici, in Austria Pro-
vincialis.

CAPITANEI, seu GUBERNA- TORES DUCATUUM.

Georgius Baro ab Herberstein, Capitaneus Du-
catūs Styriæ.

Sigismundus Fridericus Baro ab Her-
berstein, Capitaneus Ducatūs Styriæ.

Georgius Baro ab Herberstein, Capitaneus
Ducatūs Styriæ.

Joannes Maximilianus Senior Comes ab
Herberstein, Capitaneus Ducatūs Styriæ.

Joannes Bernardus Junior Comes ab Her-
berstein, Capitaneus Ducatūs Vratislaviensis,
dein Glogoviensis Plenipotentiarius.

Ernestus Fridericus Comes ab Herber-
stein, Capitaneus Görcensis.

Joannes Maximilianus Junior Comes ab
Herberstein, Capitaneus Ducatūs Styriæ.

PRO-CAPITANEI DU- CATUS STYRIÆ.

Bernardinus Baro ab Herberstein.

B

Geor-

Georgius Baro ab Herberstein.

Sigismundus Fridericus Baro ab Herberstein.

Georgius Baro ab Herberstein.

Joannes Maximilianus Junior Comes ab Herberstein.

VICE-LOCUMTENENTES.

Joannes Maximilianus Senior Comes ab Herberstein.

Joannes Maximilianus Junior Comes ab Herberstein.

**AULICUS STYRIÆ CAN-
CELLARIUS.**

Ernestus Fridericus Comes ab Herberstein.

**CONSILIARIUS IMPERIA-
LIS AULICUS.**

Ferdinandus Comes ab Herberstein.

**AULICÆ CAMERÆ CON-
SILIARII.**

**Sigismundus Baro ab Herberstein , in inferio-
ri Austria , Aulicæ Cameræ Consiliarius , dein
Supremus ærario Præfectus.**

**Georgius Baro ab Herberstein , in inferiori Au-
striâ ARCHIDUCIS AUSTRIÆ CAROLI, Auli-
cæ**

cæ Cameræ Consiliarius, postmodum Præsidens.
Sigismundus Fridericus Baro ab Herberstein, ejusdem ARCHIDUCIS Consiliarius
aulicæ Cameræ.

CONSILIARII AULÆ BELLICI.

Joannes Sigismundus Baro ab Herberstein.
Felicianus Baro ab Herberstein.

Joannes Joseph Comes ab Herberstein.

Ferdinandus Ernestus Comes ab Herberstein.

Joannes Albertus Comes ab Herberstein.

DEPUTATI, seu DELEGATI PROVINCiarum, nec non PRÆ- SIDENTES EARUNDEM.

Bernardinus Baro ab Herberstein, Delegatus
in Styria.

Georgius Baro ab Herberstein, Delegatus in
Styria.

Felicianus Baro ab Herberstein, Delegatus in
Styria.

Sigismundus Fridericus Baro ab Herberstein, Deputatus in Styria.

Georgius Sigismundus Baro ab Herberstein, Deputatus in Styria.

Joannes Fridericus Baro ab Herberstein ,
Deputatus in Styria. (ria.
Georgius Baro ab Herberstein, Delegatus in Sty-
Wolfgangus Gulielmus Baro ab Herber-
stein, Delegatus in Styria.
Christophorus Mauritius Baro ab Her-
berstein, Delegatus in Styria.
Otho Henricus Baro ab Herberstein, Desi-
gnatus in Styria.
Joannes Jacobus Baro ab Herberstein, De-
legatus in Styria.
Güntherus Baro ab Herberstein, Designatus
in Styria.
Vitus Sigismundus Baro ab Herberstein,
Delegatus & Præsidens in Styria.
Georgius Sigismundus Baro ab Herber-
stein, Designatus ac Præsidens in Styria.
Joannes Maximilianus Senior Comes ab
Herberstein, Deputatus ac Præsidens in Styria.
Joannes Maximilianus Junior Comes ab
Herberstein, Deputatus ac Præsidens in Styria.
Joannes Georgius Comes ab Herberstein,
Designatus & Præsidens in Styria.
Joannes Ernestus Comes ab Herberstein,
Deputatus ac Præsidens in Styria,
Erne-

**Ernestus Fridericus Comes ab Herber-
stein, Designatus ac Præsidens in Styria.**

**Georgius Achatius Comes ab Herberstein
Deputatus in Carinthia.**

**Georgius Jacobus Comes ab Herberstein,
Deputatus in Austria Inferiori.**

**Sigismundus Latzko Comes ab Herber-
stein, Deputatus in Austria Inferiori.**

**Georgius Jacobus Comes ab Herberstein,
Designatus in Austria Inferiori.**

**Ferdinandus Comes ab Herberstein, Desi-
gnatus in Austria Inferiori.**

**Erasmus Fridericus Comes ab Herber-
stein, Deputatus in Styria.**

**VARIORUM REGIMINUM AS-
SESSORES ac CONSILIARI.**

Vitus Sigismundus } Barones ab
Christophorus Mauritius } Herber-
Gulielmus } stein.

Joannes Maximilianus Senior }

Ernestus Fridericus }

Ernestus Fridericus alter }

Georgius Sigismundus }

Erasmus Fridericus }

Comites
ab Her-
berstein.

B 3 Mili-

MILITARES.

GENERALES CAMPI DUCTORES, seu SUMMI DUCES EXERCITUS.

Joannes Sigismundus Baro ab Herberstein, Generalis campi Ductor.

Georgius Senior Baro ab Herberstein, summus Dux exercitus.

Leopoldus Baro ab Herberstein, supremus Dux exercitus in Styria.

Georgius Junior Baro ab Herberstein, supremus Dux copiarum.

ALIÆ PERSONÆ GENERALES diversarum functionum belli.

Maximilianus Baro ab Herberstein, Generalis sub Venetiana expeditione in Dalmatia.

Joannes Bernardus Senior Comes ab Herberstein, Generalis annonæ bellicæ Præfector.

Joannes Joseph Comes ab Herberstein, Confiniorum Croatiae Generalis, & Generalis Campi Ducis Generalis Legatus ac Locumtenens.

PRÆFECTUS SATELLITH CÆSAREI.

Achatius Baro ab Herberstein.

CAPI-

CAPITANEI TERRESTRES, & CONFINIORUM.

Güntherus ab Herberstein, ERNESTI Archi-
ducis Austriæ Capitaneus in Mahrenfels.

Leonardus ab Herberstein, Capitaneus in
Woppach, Karst, & Adelsberg.

Antonius ab Herberstein, FRIDERICI PRI-
MI Imperatoris Capitaneus in Fürstenfeld.

Andreas ab Herberstein.

Dietrich

Carolus Eusebius

Joannes Fridericus

Wolfgangus Gulielmus

Wolfgangus Christophorus

Wolfgangus Weighardus

Joannes

Joannes Sigismundus

Fridericus

Joannes Georgius

Joannes Bernardus

Joannes Gothardus

Ferdinandus Ernestus

Wolfgangus Christophorus

Henricus

Barones ab Herberstein. Comites ab Herberstein.

Joannes Georgius Comes ab Herberstein ,
qui omnes & singuli in diversis Provinciis & Con-
finiis fuere Capitanei.

**COLONE LLI, seu CHILIAR-
CHÆ CÆSARUM , ac PRO-
VINCIARUM.**

Georgius

Rupertus

Gulielmus

Achatius

Georgius Sigismundus

Jacobus Franciscus

Julius

Wolfgangus Gulielmus

Bernardinus

Joannes Albertus

Joannes Sigismundus

Georgius Sigismundus

Fridericus

Maximilianus

Gulielmus

**Georgius Sigismundus Comes ab Her-
berstein.**

Barones ab Herberstein.

Joan-

Joannes Fridericus
Joannes Georgius
Joannes Joseph
Joannes Ferdinandus
Ferdinandus Ernestus
Adamus Quintinus

} Comites ab Herberstein.

PRO-COLONELLI.

Joannes Gulielmus Baro ab Herberstein.
Gundacker Baro ab Herberstein.
Joannes Gulielmus Comes ab Herberstein.
Joannes Ferdinandus Comes ab Herber-
Franciscus Comes ab Herberstein, qui in ulti-
ma currentis seculi expeditione Hungarica ad-
versus exercitum Othomannicum heroicè pu-
gnans, gloriòsè occubuit ad Urbem Quinque
ecclesiensem.

SUPREMI VIGILIARUM PRÆFECTI.

Joannes Gothardus
Joannes Ferdinandus
Joannes Franciscus

} Comites ab
Herber-
stein.

C

CEN-

CENTURIONES PEDITUM, &
MAGISTRI seu PRÆFECTI
EQUITUM.

Ferdinandus
Joannes Fridericus } Barones
Christophorus } ab Her-
Wolfgangus Fridericus } berstein.
Leonardus
Joannes Ferdinandus Comes ab Herber-
stein.
Adamus Quintinus Comes ab Herberstein.

SIGNIFERI.

Wolfgangus Sigismundus } Barones ab
Wolfgangus Jacobus } Herber-
Georgius } Stein.

IN COMPENDIO
NUMERUS.

ECCLESIA-
STICI.

Episcopus ac Sacri Romani Imperii Prin-
ceps

Unus.
Cano-

Canonici diversarum Cathedralium Ecclesiarum	Octo.
Religiosi sacerorum Ordinum	Tres.
Equites Melitenses	Duo.
Equites Teutonici	Quatuor.

AULICI.

Supremi Aulæ, seu Prætorio Præfecti	Tres.
Supremus Camerarius seu Cubicularius	Unus.
Supremi Aulæ Mareschalli	Quatuor.
Supremi Stabulo Præfecti	Duo.
Aulicæ Cameræ Præsides, seu supremi Ærario Præfecti	Duo.
Supremus Venatorum Præfctus	Unus.
Camerarii seu Cubicularii	Triginta & sex.
Supremi Rei argentariæ Præfecti	Duo.
Supremus Culinæ Præfctus	Unus.
Pocillatores, seu Pincernæ	Octo.
Structores Mensæ Cæsareæ	Quinque.
Dapiferi in complurium numero.	

POLITICI.

Consiliarii Intimi	Noveim.
Legati	Quatuor.
Capitanei, seu Gubernatores Ducatum	Septem.
Pro-Capitanei Ducatus Styriæ	Quinque.
Vice-Locumtenentes	Duo.
Aulicus Styriæ Cancellarius	Unus.
	Consi-

Consiliarii Imperialis Aulicus	Unus.
Aulicæ Cameræ Consiliarii	Tres.
Consiliarii Aulæ bellici	Quinque.
Deputati, seu Delegati Provinciarum, nec non Præsidentes	Viginti & quinque.
Variorum Regiminum Assessores ac Consiliarii	Septem.

MILITARES.

Generales Campi Ductores, seu supremi Duces exercitū	Quatuor.
Aliæ personæ Generales diversarum functionum belli	Tres.
Præfectus Satellitii Cæsarei	Unus.
Capitanei terrestres ac Confiniorum	Viginti.
Colonelli, seu Chiliarchæ Cæsarum ac Provinciarum	Viginti & duo.
Pro-Colonelli	Quinque.
Supremi Vigiliarum Præfecti	Tres.
Centuriones Peditum, & Magistri seu Præfecti Equitum,	Septem.
Signiferi	Tres.



PRO TOTIUS OPERIS ANALYSI.

Antiquæ posuit stirpis fundamina virtus
Bellica, Pannonia Marte premente si-
num.

Ex HERULIS ortum traxit generosa
propago, [ROS:

Ex HERULIS magnos quæ generavit HE-
EROES etiam, celebrat quos fama superstes,
Et quibus augustas gloria cessit opes.

Styria præcelsis ubi rupibus eminet, illic

Saxos HERULI constituere Lares.

Sedis adhuc veteris restat durissima moles,

Hospite jam dudum quæ manet orba domūs.

Accessit veteri duplex structura Penatum,

Magnifico rupis consolidata situ.

Atria si spectes, dignissima Principe sedes,

Prolixi referant hīc tabulata gradus.

Insuper exculto turgent conclavia luxu,

Musivum vario tegmine certat opus.

Undique proceris intus subnixa columnis

Machina, conspicuis statque superba tholis.

Non hæc antiquæ facies ætatis; origo

Stemmatis à prima sede volumen habet.

Olim septem Equites ædes angusta recepit

Conjunctim, quæ nunc hospite spreta caret.

Nomen ab hac vastæ derivat origine rupis

Stemma, quod effusum jam sinus Orbis alit.

Primæva è dupli monstrant Insignia tigno
Culpide connexum nobilitatis opus;
Eminet ala rubens in equestricasside, Regum
Ex auri pretio quam diadema tegit.
Hæc olim meruit præstans Insignia virtus,
Præmia fœcundi parta laboris erant.
Donec acervato meritorum fœnore, stirpi
Munia per belli cresceret ampla seges.
Ipse Sigismundus varias Legatus ad aulas,
Augusto titulo Stemmatiſ auxit opes,
Atque Coheredes Baronum nomine clari
Eximium meritis progenuere decus.
Cæſaris effigiem Regisque Insignia gestant
In galeis positam, grandis honoris opus:
Castiliæ turrim reſeratis postibus amplam
Austriacæ ſequitur tefera diva Domūs;
Scilicet in rubeo candet via lactea campo,
Candorem fidei gloria Martis amat.
Indita ſangvineis clypei ſunt Helcia campis,
Pinguis ab Haag quondam signa fuere ſatūs,
Quæ tandem Henrici defunctâ Conjuge, Divo
Herbersteiniadum à Cæſare juncta Sago.
Accessit reliquis indulto Cæſaris, albo
E Neybergensi Stirpe colore Lupus,
Aurea cui niveum circumdant corcula tergum,
In medio virtus ſic residere ſolet.
Baronum ac Comitum ſunt hæc Insignia, magnæ
Herbersteiniadum quæ monumenta Domūs.


Palladis


Palladis hæc sedes multis dotata talentis,
Pax dedit alma togam, Martis & arma sagum.
Floruit Austriaco sub sangvine, floruit inquam
Semper in adversis, non violata fides.
Enumerat Magnos quot Cæsar's aula Ministros,
Tot celebrant Belli Martia castra duces.
Augusto varios Generi tulit Aula favores,
Nominis ac parti sangvine Castra decus.
Et Romana suos Ecclesia junxit honores,
Imperium fasces Principis, Ara Pedum.
Sacra corona vit caput Infula Præfulis, auctas
Sole favente R ATIS dum BONA vexit opes.
Imperio, Regnis ac toti Styria Mundo
Eximios genuit Mater amanda viros.
Non improlis erit, quæ per tot secula prolem
Heroum genitrix Styria, larga tulit.
Hæc dabit Austriacæ gremio fœcunda saluti
Ulterius, redolens Styria nardus erit : [dorem,
Plus ultra tribuet gratum BONA NARDUS o-
Floret adhuc pinguis semine, dives opum.
Plus quam dena tuos numerant jam secula partus
Styria ! plus ultra florida Mater eris.
Ultima Posteritas Orbis clausura Penates
Te canet ô felix Styria, digna cani!





Perspectivischer Aufzug des
**SCHLOSS HERBER
STEIN**





PROLEGOMENA

De Antiquitate, Insigniis, ac titulis toti Familiaꝝ competentibus.



Lim apud Populi Romani Antistites templum honoris erectum steterat penes virtutis, tam eleganti, ac concinno situs atque dispositionis artificio, ut nemini liceret honoris delubrum ingredi, quin prius virtutis penetraasset.

Ad augustum honoris ac gloriæ peristylium, aut excellentiâ ingenii, aut singulari armorum experientiâ, seu aliorum talentorum præditis apparatu, per postes virtutis unicus accessus patet.

Nihil est clarius in quo cunque genere statu, nobilitatis, vel ordinis sublimioris, quam causa.

Alienonituisse lumine casus est, proprio virtutis.

Felix prosapia, cuius gloria nullius crescit encomio, neccujuspam vituperatione minuitur.

Perhanc virtutis semitam ad regale templum honoris accessit, ac ingressum est, gloriosum stemma *E QVI TVM, BARONVM, COMITVM*, Sacriæ Romani Imperii *PRINCIPIS ab HERBERSTEIN*, cuius originem, in quantum indulxit rudis duntaxat antiquitatum notitia, brevissimè exponemus.

Ævum illud non satis deplorandum est, in quo tot, tantæque præclaræ gestis, ac virtutum meritis illustres prosapiæ, partim ob supinam Scriptorum desidiam, qui Majorum virtutem per Annales immortalitati commendare neglexerunt, partim ob temporum injuriam, ac Fortunæ tam proficuos conatus remorantis vicissitudinem, partim etiam ob bellorum, quæ illâ ætate ubertim gliscebant, rerumque bene gestarum seriem opprimebant, exortam, continua-

A

tamq;

tamque tempestatem, quoad indagationem originis, ordinataeque successionis, oblitteratae permanserunt.

Uno saltem titulo rudem illam, ac incultioris seculi progeniem excusare possemus, quod ea nondum nominis immortalitati per praeium consulendi morem agnoverit, vel etiam indita Germanis sinceritas persuasum habuerit, suam in nepotibus ac posthumis victuram cum virtute famam; ut idcirco eandem per literarum monumenta nobis transmittere, non adeo laborarint. Quod ultimum Herbersteinianae Familiae proavos satis superque vota consecutos esse ostendemus: Ubi quidem nostrae intentionis non est, perillustres hujus Prosapiæ genealogias, quibus integri adimplerentur parietes, secundum ordinem recensere; quærenti enim similia, diversi Authores, quos inter Philippus Jacobus Spener D., maximè vero R. P. Gabriel Bucellini, abunde materiam suppeditabunt: sed nostro solùm serviet proposito, quædam de gloriosi Stemmatis origine ac antiquitate, nec non quam generosâ excreverit serie, pro exili, quam frui licuit notitia, commemorare.

Nemo ibit inficias, inter primaria totius Germaniae stemmata non postremum sortiri ordinem ac honoris gradum, antiquissimam hanc & celeerrimam Familiam **EQVITVM, BARONVM, & COMITVM ab HERBERSTEIN**: nihilominus tamen clarissima ejusdem origo, propter antiquitatem in hunc usque diem obnubilata delituisse, nisi magnanimus ille, perque merita famosissimus Cæsarum ac Regum Orator & Legatus, **SIGISMUNDVS BARO ab HERBERSTEIN**, anno restauratae salutis supra millesimum quadringentesimum octogesimo sexto feliciter natus, absolutis demum in arduis totius Sacri Romani Imperii, ac trium Monarcharum negotiis, pluribus quam triginta legationibus, inter alia, qua postabundè domi, forisque comparata-

ram antiquitatum experientiam , variarumque nationum & stemmatum cognitionem , p̄cōlo commisit opera , suis reliquisset nepotibus posterisque memoriam , quōd illorum ab antiquis ceris gloriōsē derivata Prosapia à populis , qui **HERVLI** vulgō nuncupantur , annum circa quadringentos Heruli. gentesimum & septuagesimum quintum restitutæ gratiæ , sub Odoacre Istriam Pannoniamque infestantibus , deducitam trahat originem , qui in Styria antiquissimam arcem **HERVLSTEIN** , deinceps **HERBERSTEIN** nominatam , condidere , quam , nisi vetustatem venereris , antiquam potius dixeris turrim ; attamen ab ea tot subsecutos Possessores , nomen accepisse jam palam constat , quamvis illud interdum aliquoties mutatum sit , dum **EQUITES** ab **HERBERSTEIN** , primis propè seculis ab **HERVL** - seu **HEROLDSTEIN** , dein ab arce **HARBERG** , situ proximâ , jure armorum occupatâ , ob legitimam possessionem , ab **HARBERG** postmodum ab **HARPRECHTSTEIN** , alio seculo ab **HERBERGSTEIN** nuncuparentur , qui demum ad nostram usq; ætatem ab **HERBERSTEIN** nominantur .

Ipsa verò Arx , quantumvis per meliorem successiōnem ætatis , in multò ampliorem excreverit fabricam , quem nempe in typo annexum schema exhibet , remanet tamen vetus Herulorum ædificium , non quidem ad receptionem hospitum , sed in solius antiquitatis memoriam . Hoc nostro quod agimus seculo , præfatæ arcis ac Dominii Possessorem egit legitimū **JOANNES MAXIMILIANS** Senior **COMES** ab **HERBERSTEIN** , aliquot Cæsarum Consiliarius Intimus , nec non Consilii intimi in Styria Director & Provincialis Duxatus ejusdem Capitaneus .

Arx Herber-

stein.

Herulstein.

Heroldstein.

Harberg-

stein.

Harprecht-

stein.

Herberg-

stein.

ingel

Posthujus fata successit Filius **JOANNES MAXIMILIANVS** Junior **COMES ab HERBERSTEIN**, Sacræ Cæl. Majestatis Consiliarius Intimus, & præmemorati Ducatūs Styriæ Capitaneus. Cùm verò & hic sineprole mascula è vivis nuper dececessisset, successit è Fratre Nepos, nempe **JOANNIS FERDINANDI COMITIS ab HERBERSTEIN**, Imperatorii Consultoris ac famosissimi Chilarchæ (quem mors præmatura Orbi subripuit) Filius, **JOANNES GEORGIVS COMES ab HERBERSTEIN**, qui à teneris militiæ studuit, & nunc ab Augustissimo Cæsare **LEOPOLDO** Supremus Mare schallus Aulæ in Styria declaratus est: quod ipsum magnæ dignitatis Officium, ab immemorabili tempore penes hanc celeberrimam Prosapiam sedem habuit.

Omnia, quæ tam gloriæ Familiæ in genere conveniunt, & à præfato **SIGISMVNDO** relicta sunt postris, hinc recensere, nimis amplum ac molestum accideret.

Insignia Gentilitia. Gentilitia solum Insignia, quæ sunt signa promeriti honoris, virtutis præmia & gradus ulterioris gloriæ ac meritorum, demonstrant satis superque tanti Stemmatis præminentiam, nec non eorundem de seculo in seculum, uti operis frontispicium edocet, indultum à summis Principibus auctoramentum, quod pulcherrimum sanè est, omniq; majus exceptione probatæ virtutis testimonium.

Prima Insignia, utpote adeptæ nobilitatis & Equestris ordinis documenta, è duplice candidi coloris tigno, in rubro clypei campo **CONTIGNATIONEM**, nec non in regali corona supra cassidem, **ALAM RVEBAM** ad volatum explicatam, cum non dissimili coloris albi contignatione referebant.

Quid

Quid aliud declarant hæc Insignia , quàm quòd primi-
pili hujus antiquissimæ Domûs , ob experientiam Archite-
cturæ celebres , tandem oblatâ occasione belli , cassidem
induti & loricam , instar aquilæ evolarint , alamque gen-
tilitiam , tam proprio , quàm hostium sanguine per actus Mar-
tiales ex ingenita animi generositate rubentem ac conspi-
cuam reddere non cunctati fuerint .

Nec tanta virtus in ingratos incidit Principes , qui dum
eam indies crescere viderent , amplioribus pro merito præ-
miis non indignam judicarunt , & pro priorum Insignio-
rum augmento **HELCIUM** in rubeo campo clypei ,
gentilitiam nempe tesseram **ANTIQUÆ PRO-**
PAGINIS ab **HAAG** , seu **GUTTEN-**
HAAG , (cujus arcem , sub possessione **ERASMI**
FRIDERICO MITSAB HERBERSTEIN
annexus hic typus exhibet ,) quæ compluribus olim claruit
seculis , tandemque ob defectum masculæ stirpis , cum
ANNA ab HAAG , **HENRICI ab HER-**
BERSTEIN Conjuge , ultimâ nominis herede , cum
nomine , omne , ac Insigniis gentilitiis , anno supra mille-
simum tercentesimo , in Familiam Herbersteinianam devo-
luta est , adjunxerunt .

Per heroica porrò facinora & eximia clari ingenii ta-
lenta , eò demum successores ac nepotes magni Stemma-
ris , ex instinctu generosè bullientis sanguinis progressi sunt ,
ut ab **IMPERATORIBVS** , **REGIBVS** , &
ARCHIDUCIBVS GLORIOSISSIMÆ
DOMUS AUSTRIACÆ propter adamantinam
fortitudinem , fidelitatis inconcussæ constantiam , indefes-
sos Legationum labores , augusta magnanimitatis specimi-
na , Insigniorum augmenta in perpetuum seræ posteritatis
ornamentum promeruerint .

Guttenhaag

Insignia ad.
aucta.

Ipse **SIGISMVNDO BARO ab HERBERSTEIN**, quem penes alios sublimioris statūs ob
præclarissimè merita , nulla ætas involvet silentio,cum Co-
heredibus sui sanguinis ulteriore Insigniorum auctionem
assecutus est, quam in frontispicio operis supremæ stationi
insculptam ostendimus,ampliata nempe Insignia per merita
famosissimi Herbersteiniani Stemmatis,tam **CÆSAREIS**,
quam **REGIIS ICONIBVS SVPER GALE-**
AS COLLOCATIS,nec non aureâ **HISPANIÆ**
seu **CASTILIÆ TVRRI**, adjunctis **ARCHI-**
DVCVM AVSTRIÆ gloriosissimis Insigniis,**CLY-**
PÆO nimirūm **RVBEO**, **ALBOq; DIVISVM**
CINGVLO, ut inde palam constet,Austriacorum Prin-
cipum clementiam , quos fideles experta est negotiorum
gestores ac prudentes, Ministros , etiam suæ gloriæ partici-
pes, per communicatam suæ originis tesseram , efficere vo-
luisse,illustria,multisq; præ familiis plurimùm honorata,ne-
glecta tamen veteri ,quā olim conspicua eminebant, cassi-
disalā.

Imò nec hīc virtus præfati **SIGISMVNDI** habuit
terminum, secundūm cujus merita etiam Cæsares suos di-
mensi sunt favores , dum **LUPUM** ex altero latere,candi-
do indutum colore , in nigro clypei campo **AVREIS**
INSERTVM CORCVLIS, **HERBERSTEINIA-**
DUM Insigniis adjunxere , qui veterem prosapiam **DY-**
NASTARVM in NEYBERG, (cujus arx
hic penes expressa est, & unā cum Dominio à **JOANNE**
GEORGIO COMITE ab HERBERSTEIN nunc pos-
seditur,) olim jam radicitū evulsam , ac tenore Cæsarei di-
plomatis cum omni possessione immobilium in Stemma
Herbersteinianum translatam denotat: quæ utraque Gentil-
litia

Neyberg.

litia Insignia Dynastarum in Neyberg & Guttenhaag antehac extra sphæram Herbersteiniani clypei, infra ab utroque latere appensa videbantur, donec Cæfarea benignitas hanc compluribus titulis meritisque multum gloriosam Familiam, numero *COMITVM SACRI ROMANI IMPERII* adsciberet, ubi eorum Insigniis non tantum clypei à latere gemino dependuli inserti, sed etiam inferiores de Neyberg ac Guttenhaag ternis conjuncti galeis superioribus, & in perpetuitatem honoris, inclutum Stemma Herbersteinianum solenni donatum est encomio *BARONVM in NETBERG, & GUTTENHAAG*; nec non propter adeptum Dominium, *DOMINORVM in LANKOWITZ*, (cujus arcem hic æri incisam apposuimus,) & non minus prioribus jam seculis hereditariâ dignitate *CAMERARIORVM ac DAPIFERORVM CARINTHIÆ*, ut inde totius Prosapiæ senior *SV-PREMVS CAMERARIVS & DAPIFER CARINTHIÆ HEREDITARIUS* prædictetur.

Antiquissima hæc & celeberrima Familia, licet una sit eademque, tractu tamen longævi temporis in duodenas sanguinis collaterales lineas ac classes, nec non per Universam Germaniam, exterisque Regiones ac Provincias torrentis instar effusa, ubertimque dilatata est, & ad hanc usque ætatem à *PRIMO OTHONE* continuatam enumerans propaginem nepotum, interrupta non unquam suessione floruit.

A quarto Christi ad undecimum usque seculum, sexcentos & complures fortassis Heroum numerasset antiquitas, quos strenua virtus, perque heroicum sanguinem ingenta magnanimitus illustres reddidit, nisi rude illud, invidum ac novercale seculum, jam frustra deploratum, eorum eme-

Lankowitz.

emeritæ laudi ac gloriæ adeò se exhibuisset contrarium, ut memoria vestigiorum antiquitùs impressorum non superfit, nisi desolo *ANSELMO ab HARPRECHT*-*seu HERBERGSTEIN*, quem, ut in parte operis primâ referemus, undecimo post restauratam salutem seculo, Iudis equestribus à Bojariæ Duce Quelfo solenniter institutis (hoc ipsum variorum Historicorum testimonio confirmante) interfuisse, palam sit cognitum.

Si rigorosas Equestrium Conventuum ac hastiludiorum sanctiones examini submittamus, reperiemus numero duodecimam, quæ singulis, nisi à quatuor avorum longavæ ordinataque successione, vel authenticis instrumentis, vel fidei dignissimis comprobatam testibus demonstrent Nobilitatem, accessum ac hastiludii equestris commercium præcludit, ac prohibet. Idcirco exinde collendum, compluribus retrò seculishoc è meritis famosissimum Stemma intaminato genere nobilitatis jam floruisse, progressuq; suo ab *HERULIS* in hanc ætatem devoluto claruisse Equestris Ordinis charactere.

Post quatera à primordio secula de Herul-Herold-*seu Herbersteinianæ* propaginis, domi, forisque comparatis virtutum ac heroicorum facinorum meritis, altum, perpetuumque fuisse silentium, recensuimus. Non quod creditu dignum censeatur, nullos interea præfatæ Martialis Prosapiæ extitisse, vel regimine politico, vel arte bellicâpræclaros; sed ignotos solum per illorum temporum injuriam, & Scriptorum ignororum incuriam, Cimmerias inter tenebras oblivionis delituisse.

Plura de antiquitate hujus gloriofissimæ Familiæ silencio involuta transfilio; cum verbis opus non sit, ubi tot vetera rerum loquuntur testimonia; satis enim vetustumputes, cuius originem in ipsa antiquitate vix licet invenire.

Pars Prima

Monimenti Historico-Panegyrici
 promiscuè complectitur de seculo in secu-
 lum, **EQUITES**, **BARONES**, ac **COMI-**
TES, observato tamen potius temporis,
 quam linearum Ascendentis, vel
 Descendentis Ordine.

Anselmus.

 X ante memoratâ tandem temporum cali-
 gine, reviviscentis instar Phoenicis felici-
 ter eluctatus est generosus Eques **AN-**
SELMUS ab HARPRECHT-
 seu **HERBERGSTEIN**, qui, ut
 Annales Fastorumq; testantur documenta, anno post cen-
 tesimum supra millesimum sexagesimo quinto, in Comitatu
LVPOLDI, AVSTRIAÆ MARCHIONIS,
 hastiludio, seu ludis Equestribus per **QVELFVM BO-**
JARIÆ DVCEM ritu solenni institutis, penes ali-
 os complures diversorum Stemmatum interfuit, suæque
 virtutis, ac innatæ generositatis specimen edidit in per-
 enne sui nominis decus.

Membra & animum fortem in certaminis congressu
 ostendit eventus.

Neminem magnæ indolis virum vilia delectant.

Animus virtuti deditus nobilem reddit, cui ex qua-
 cunque conditione supra Fortunam licet exurgere : For-
 tunæ verò minimè fidendum est ; fallit quippe crebrò nau-
 tas Orion, ac Fortuna felices, nimium secundæ Sorti confi-
 dentes.

Regale sacerdotium tantæ est dignitatis ac præemi- **Joannes.**

B

nentia

nentia, ut etiam Reges ac Duces deposito diademate, atq; Ducali tiara, sacrorum Ordinum, instinctu Numinis, elegerint statum, ac DEO incruentam immolantes hostiam, quod munus nec Angelis, nec gradus superioris spiritibus unquam indulsum esse profitemur, ad Canonum cynosuram, vitæ cursum instituentes, per Mundi immundi tempestuosos fluctus, ad æternæ felicitatis portum, cum fœnore meritorum transfretarint.

Et quemadmodum angelicæ non est potentia, tremendum illud conficere *SACRAMEN* *TUM*, quod non solummodò cœleste prædicatur mysterium, intellectui humano impenetrabile, sed & choris supernis admirandum est miraculum; sic etiam competit Sacerdotibus, ut, si foret possibile, Angelico DEI famulatu, cui tamen nihil puritatis addi potest, sint puriores.

Quia verò humanæ naturæ indutis fragilitatem, angelicæ candorem substantiæ assequi, ultra vires esse censetur, satis est, si integritatem conscientiæ, gravis immunem reatus; illibatumque castitatis florem pro virili conservare studeant: Sacerdotes enim sunt *JESU* Citharædi, suis tractantes manibus *MAGNALIA* *DEI*, sacram nempe *EVCHARISTIAM*, quæ per translocationem literarum est *CITHARA JESU*.

Maximum animi munimentum integra est conscientia; hanc ut inviolatam conservaret *JOANNES* *QUE* *ab HERBERSTEIN*, factus est *JESU* Citharoedus, statum eligens Ecclesiasticum.

Sacerdotalem adeptus characterem, curamque animalium in Styria Poelaviæ, (quæ postmodum sedes beneficentiæ Principum Ducatus, *JOANNA* *NIS* eximia pietati, meritisque Majorum id muneric conferente, in Præposituram succrevit,) anno redintegratae saltutis nono, post millesimum cum ducentesimo, Sacris operatus est, inque vinea

Vinea Domini strenuè laborans , in se cœlestis gratiæ attracta xit radios : Hac sacerdotali dignissimus dignitate , qui illicò post primæ ætatis florem , spinas inter livoris , rosa rum delicias , fructus odoriferæ virtutis , humilitatis præsertim , rerumque divinarum observantia abundè college rat.

Semper sub pondere stetit augustior , cœlitùs confirmato animi robore , cui generositas indolis diminuit labores.

Mortalem non ambiit gloriam , ut aliquando post fata consequeretur immortalem.

Contra vitia murus erat aheneus , nullo novercantis Fortunæ impetu mutabilis , cui magnanimitas è generoso sangvine progenita addiderat fomitem spiritualium vi toriarum , quarum prima , suos affectus subjecisse rationi , & Cornutui divinæ voluntatis.

Impendebat oleum & operam , vires nempe saluti animalium , ad imaginem Solis , æquales omnibus impertientis radios infertilitatis incrementum.

Unxerat **JOANNEM** Deus oleo justitiæ , qui tractaret mysteriis plena DEI magnalia . Prudentiâ cœlitus suffragante , calamo pietatis , in se ipso Apostolicam scripsit vitam , sinistras notas seu literas abominatus , ne membrana castimonia vel minimam impuritatis contraheret maculam .

Fructus bonos oneris , fructus honoris onus :

Quò difficilius , eò præclarius ; sub quo aliis serviendo regnabat , imitatus palmam indole magis florentem sub prefura .

Olivam dixisset **JOANNEM** , comitatis olivum destillantem ; & ne absque adversario marceret vix non à crepundiis exercita virtus , in se , contra se ipsum , continuum voluit esse exercitium , existimans , quòd leve curarum sit pondus amanti , nihilque arduum virtuosæ indoli .

Difficilis est ad montem immortalis gloriæ semita ,

quam ejus talenta , & benè gestorum merita fecere planam
ac facilem piè morienti. In loco pascuæ collocarunt Eum.

Otho.

OTHO Eques ab *HERBERSTEIN*, qui va-
rias virtutes habuit vectigales ac stipendiarias, ut antiqui
sui Stemmatis propagaret gloriam, non inglorius, felicita-
tem honestate metiendam esse arbitratus, Anno restitutæ
Salutis sexagesimo post ducentesimum cum millesimo, di-
ves floruit, non opibus duntaxat, sed & talentis animi, ger-
manæ nativæ quenobilitatis Possessor.

*Omnia cum pereant, virtus est sola perennis,
Hæc immortales reddere sola potest.*

Non atria Majorum imaginibus referta, non porticus
ornatae tabulis, & militaribus signis Heroum, neque auro
turgentia triclinii peristromata, quæ apud vulgum vanita-
tis admirationem conciliant; non amplorum ædificiorum
structura, bonorumque affluentia confirmant nobilitatis
originem, sed magis insignia indolis talenta, viri sapientis
anathemata; quæ *OTHO NEM* in pauperes benefi-
cum & liberalem, humanum erga æquales, in subditos
mansuetum, & erga Superos devotum primariò commen-
dabant: talia enim talenta sunt gradus ad honores, qui se-
quentes fugiunt, & sequuntur fugientes.

Sapiens se ipso contentus est, cui nullum obviat peri-
culum, quod pro salute patriæ vitandum arbitretur.

Munificentia, & in egenos liberalitas accessum parat
ad cœlestia, & tunc solum in pretio consistit thesaurus,
quando per usum largiendi definit possideri.

Humanitas in æquales, humanæ convenit indoli, & er-
ga subditos benevolentia ac mansuetudo solidat possessio-
nis limites.

Devotio vero erga Superos, quæ specialis est actus vo-
luntatis se tradendi ad DEI famulatum, divinam lucratur
gratiam, nepotum ac posteriorum conservationem, quæ om-
nia conjunctim & cumulatim reperiebantur in *OTHO NEM*

per quem continuam obtinuit seriem in hoc præsens secu-
lum celeberrima hæc Prosapia.

Et idcirco *OTTHONI*, amplissimi generis felicissimo
Parenti, Summi Monarchæ, Principes, Ducatus, Provin-
ciæ, Aula, Urbes, & optimorum qui vis, adhuc gratias ha-
bent, obtam illustres post se Orbi Universo relictos Nepo-
tes, à quibus eorum Fortuna, Incolumitas, Salus, quoties
ab immani adversantium furore, quoties ab hominum se-
ditionem moventium impetu lacepsita est, toties secura
perfstitit, ac immobilis.

Quamobrem non unquam Primi *OTTHONIS* interitu-
ra est memoria, ac nescia fatorum virtus: Etenim quamdiu
ipsius posteri, suorum sudorem laborum, ac venarum cru-
orem, Cæsarum, Regum, publicæque Saluti immolave-
rint, (immolabunt autem, dum Austriacæ Majestatis glo-
riam diademate ac sceptro nulla destituent fata) tam diu
vivet in omnium encomio superstes *OTHO*, ac genero-
fissimæ Familiæ fortunatus longè Parenis prædicabitur.

Nunc ad *RICHARDVM EQVITEM* ab
HERBERSTEIN, qui lento quidem, sed honori-
fico passu, Genitorem suum *OTHONEM* sequitur, pe-
dem movemus.

Richardus.

Hic inter infestos aduersæ Fortunæ turbines ac insul-
tus, nunquam generosi animi passus deliquum, fortitudi-
ne & fidei constantiâ eminens, evasit victor suorum affe-
ctuum, immarcescibili gloriæ laureâ coronatus.

Non mundam tumidas amaranthus missus in undas

Amittit speciem, pulchrior inde viret.
Indolis heroæ typus est amaranthus, amaras
Fortunæ quoties fluctuat inter aquas.
Generosorum est hereditas, agere fortia, ac pati dura,
quibus, velut aurum flammis, probatur fidei constantia.

Non potentia virium , sed lenitate conciliandus est affectus popularis.

RICHARDVS, quem nonnulli **REINHARDVM** appellant, hujus possessionem virtutis obtinens , per comitatem morum , complurium sibi animorum affectus devinciebat , ut post obitum vestigia magnae virtutis , suique reliquerit desiderium.

Soli felices appellandi ac censendi sunt , qui ex hac vita chari DEO , & hominibus desiderabiles discedunt.

Benè moratus animus , summum est corporis ornamentum , qui inter dubia præfert honestatem utilitati : tantus verò splendor existit honestatis , ut vitam beatam efficiat tranquillitas conscientiae , & innocentiae securitas.

Georgius.

Intueamur **GEORGIVM EQUITEM** ab **HERBERSTEIN** , præfati **THONIS** filium , quem antiquitas ob honestatis , & specialis modestiae ornamentum , morumq; compositorum concinnam suavitatem **HONESTUM EQVITEM** solita est prædicare.

Nunquam honestatis supergressus est limites , sive traharet ardua rerum à Principe commissarum negotia , seu jocosis interesset ludis ac exercitiis : adamant enim alterna Camoenæ , & arcus semper intensus non raro rumpitur ..

GEORGIVS assidue inter cancellos honestæ conversationis versabatur , qui suos affectus temperare , & ad bilancem æquitatis moderari , à tenera jam , atque imbelli assueverat ætate.

Qui rerum novit causas , ac tempora servat ,

Temperat affectus , ordinat acta , sapit.

Hinc jure meritoque Sapientem fuisse **GEORGIVM** affirmare licet , qui cuncta prius consilio experiri , quam vel minimam temeritatis notam incurrire sustinuit.

No*n*

B 3

Præ-

Præeuntis fratris vestigia ad amissim generosè imitatus est **ULRICUS EQVES ab HERBERSTEIN** eodem seculo, primi **OTHONIS** filius; nec degeneravit ab **AQVILÆ** volatu. Ulricus.

*Ad radios Solis volucrum Regina volantes
Ex oculis pullos comprobat esse suos.*

Et tantò quisque perfectior censendus est, quantò perfectius alienæ virtutis conatus imitatur.

Quaterna sunt animi involucra, quæ subinde vitiosam efficiunt vitam, mortemque infamare solent, videlicet divitiae, juventus, solitudo, ac libertas.

ULRICVS, quantumvis hereditariæ possessionis abundaret opulentia, eā sic usus est, ut nihil possidere videretur, nisi illud, quod per elargitionem in egenos, ad cœlestem præmitteret gazophylacium.

Juventutem, ne marceret, equestribus impendens exercitiis; solitudinem, quæ nil recti suadet juvenilibus annis, abominatus, inter eruditorum colloquia versari maluit, quam laxato libertatis freno censi mancipium inordinatorum affectuum, quibus vinculis sæpenumerò juvenilis ardor constrictus, ac in lasciviæ cœnum demersus, in deplorandam agitur servitutem.

OTHO, VLRICI frater, ac primi **OTHONIS** filius, Otho secundus. tramitem virtutum eligens, suiq; glorioſi Parentis inhærens vestigiis, cuncta quæ ad vitæ benè instituendæ ordinacionem pertinere censentur, observavit industrie; & quum finis nostra coronet opera, eò potissimum contendit, ut conscientiæ puritatem integrum conservaret, suaq; naturæ talenta memoriæ posteriorum per benè gesta commendaret.

Humilitas tantæ est æstimationis ac pretii, ut etiam in **SUMMO PRINCIPÆ** summè laudanda, atque Otho tertius. veneranda sit.

Exem-

Exemplum esto præ innumeris **ARCHIDVCALIS DOMUS AUSTRIÆ**, quæ per **RUDOLPHUM Habsburgicum Comitem**, primum posthac **CÆSAREM ex hoc gloriofissimo Stemmate**, coram obvio **VERBVM INCARNATVM**, sub specie panis absconditum, portante Presbytero, ad terram provolutum, basin & fundatum posuit ad Romanum Imperium, in cuius throno Cæsareo Augustissima hæc Prospria per continuam adeptæ felicitatis successionem, à tot retrò seculis gubernavit.

Cæsareos animi demissio struxit honores,

Et fulcræ Austriacæ non ruitura Domûs.

Majestati nil derogat humilitas, nec Majestas humiliati: quò enim quispiam in suo statu sublimior, eò ipsum humiliorem esse oportet.

OTho, tertius hujus nominis, **EQUES ab HERBERSTEIN**, in publicum veritatis testimonium nuncupabatur **HVMILIS EQUES**.

Quæ virtus nihil abstulit splendori nativitatis, & ab antiquitate derivati generis, immo eximium addidit moderatæ indoli ornamentum.

Et quemadmodum ignorantia præsumptionem, ac præsumptio inducit casum: ita humilitatem scientia, humilitas verò generat augmentum cœlestis gratiæ, luminis additamentum, boni propositi perseverantiam, spei delectabile gaudium, desiderium consequendæ perfectionis, amorem patientiæ, sapientiæ gustum, fidei constantiam, exultationem generosi spiritus, zelumque justitiæ.

Hæc omnia posito humilitatis fundamine cumulatim erant in **OTHONIS** comitatu: tantâ enim pollebat scientiâ, rerum præsertim divinarum, ut si non novisses genium, equestribus deditum exercitiis, dixisses Theologum. Apud sui Ordinis statûsq; Coætaneos, comite humilitate meruit benevolentiæ propensionem, apud Majores gratiam,

apud

apud potentiores verò amoris amplexum. Non dubium, quin illustratus fuerit à Divino lumine intellectus **HUMILIS EQUITIS**, qui deflectere non potuit, aut noluit ad sinistram.

Sat placuisse bonis, displicuisse malis.

Virtuosos æmulari gloriosum.

HENRICVS EQVES AB HERBERSTEIN Henricus.

non solum æmulatus est, verùm etiam suo posteris monstravit exemplo ad majora semitam, qui per virtutum heroicarum specimina, stateram prudentiæ, comitatis autographum, & probatæ fidei testimonium, Famam meruit publicam, ac primus Insignia de **GUTTENHAAG**, Insignia de Guttenhaag pientissimâ suâ Conjugे **ANNA de HAAG**, defunctâ, postquam ejusdem Stemmati radicitus expirasset, cum actuali possessione immobilis substantiæ omnium bonorum, (ut prius jam assertum est,) transtulit ad Familiae **HERBERSIÆ INIANÆ** seros nepotes ac posteros. Ardua quidem, & spinosa via est ad honoris fastigium; at qui spinarum non aversatur aculeos, colligit è duabus metis rosas.

Gloriacurarum merces.

Non sine lucro sà sudant mercede labores.

HENRICVM inter spinas collegisse rosas, nullus dubitet, quem perperam invidiæ pupugerunt acuminâ, sed irrito conatu: non ob vitiosos, quos declinabat, habitus, nec ob indolis, quam horrebat, desidiam; sed quia Coætaneos non frustaneâ licitæ ambitionis industriâ, gradibus virtutum antecedere niteretur.

Felices! quos ob virtutis trāmitē pungit & impugnat invidia.

Infelices! quos deserit torpentes:

Nam virtus medio floret livoris in aestu,

In medio vivens ut Salamandra rogo.

C

Rex

Rex Alfonſus familiari cuidam suadenti , ut tranquillam , quā frui licitum , & voluptuosam (quæ juvenilem seducit ætatem) transigeret vitam , animo sanè regio respondisse fertur : Non temerè Romanos , prouti hujus operis ostendit introitus , & illos quidem aliis sapientiores , honoris delubro associasse virtutis , in quod , nisi per templum Virtutis , introire fas erat nemini : ut hinc Epicurei mortales saperent , ad honoris ac gloriæ emporium , non voluptatum instrata rosis semitā , (quæ abundaret illecebris & deliciarum luxu illicito) sed virtutis , illà quidem asperā ac salebrosā enitendum esse.

Et hoc ipsum in se expressit *HENRICVS* , qui nos præcessit , ut sequeremur ducem ,

Erckhardus
Burghardus

Non degeneres ab iisdem talentis fuere *ERCKHARDVS* , & *BVRGHARDVS* , germani fratres , *EQVITES* ab *HERBERSTEIN* , in ipso flore juvenilis ætatis declarantes per eminentium virtutum , morumque suffragia , quales olim evasuri , si ad maturitatem pertigissent . Sed uno eodemque Ubere vitam ac mortem fugimus .

Quisquis ad vitam editur , destinatur ad vitæ coronidem ac æternæ primordium .

Immaturâ morte ambo præventi , posteris sui reliquerunt desiderium , delicatæ verò juventuti , virtutis speculum , in quo se ipsam , uti mortalem , compleetur .

Nulla lassitudo impedire officium , aut fidem debet .

Et cùm prudens rerum gerendarum dispositio , Famæ ac honoris pariat nutrimentum

Güntherus.

GÜNTHERVS , *EQVES* ab *HERBERSTEIN* , *ERNESTI ARCHIDUCIS AUSTRIÆ* fidelis Minister , ac Capitaneus Istriæ fidem jurando sancitam , impressis in Austria vestigiis contestatus , duce prudentiâ omnia oblatarum functionum munia .

ad

ad bilancem justitiae sic dispositus, ut adhuc inter vivos existens *FIDELIS EQVES* propalam prædicaretur, in perpetuum succollantis Famæ ac honoris promeriti munimentum.

Orphani & pupilli ad mentem Francisci Petrarchæ, sunt pupillæ DEI: DEUM offendit, quicunque pupillos lædere præsumit.

Orphanos, viduas ac pupillos suis æquiparavit pupillis *GUNTHERVS*: & veluti proprias providè custodivit, ita pupillis pupillares & penuarios constituens provisores, è largo penu Istriæ egentibus voluit provideri.

Pauperum miseri, liberalis assueverat indoles *GUNTHERI*; & cùm misericordia sit animi condolentis affectus cum additamento beneficii, compassus est derelictis, & munificam aperuit manum, ut sibi recluderet divinam.

Liberale est officium, ferere beneficia, ut metere fructus, concessum sit.

Multò præclarus est, beneficiorum, quām trophyorum relinquere memoriam posteris.

NICOLAVM. WILPOLDVM, atque VLRCVM, fratres germanos, *EQVITES ab HERBERSTEIN*, tam nativo magni generis, quām lacte materno innutritæ virtutis splendore conspicuos vidi decimum quartum Christi seculum.

Nicolaus.
Wilpoldus.
Ulricus.

Juvenile vitium est, regere non posse impetum.

Non simili laborabant vitio *NICOLAVS, WILPOLDVS* atq. *VLRICVS*, qui in ipsa juventute attigerere prudentiæ senium.

Tempestivus est honori, qui jām virtuti maturus est.

In floridissima ætate, cùm senilem virtutum vix non implevissent, propter fructuum maturitatem translati sunt, uti piè ominamur, ad cœlestē penarium.

Floribus ut fæse vernis Libitina coronet,
Hos ternos flores invida falce metit.

Hebetis est ingenii , & confine mediastino , nimium circa corporis ministeria occupari .

Andreas. Altioris fuere indaginis , quæ animus ad majora natus intendit **ANDREÆ EQVITIS ab HERBERSTEIN.**

Processit hic sapienter in arduis , patienter in asperis , providè in prosperis .

Ut suo Principi tam vires quam vitam devoveret , consentaneum erat generosæ indoli , quam mature agnovit in **ANDREA, ALBERTUS II.** Romanorum Cæsar , quem cognomine **FELICEM** vulgo prædicabant .

Hic **ANDREÆ** , cuius fidem in variis functionibus ubertim comprobata viderat , Carlshtensis districtus contulit præfecturam : in cuius sedula administratione **ANDREAS** eò potissimum collimabat , ut integritatem conscientiæ à teneris illibatè conservatam , nulli faciendo injuriam , ac suum unicuique tribuendo confirmaret .

Plerique famam , conscientiam pauci verentur .

Ab horum numero planè alienus , utilitatem sui Monarchæ & Principis , nec non incolumentem subditorum , privato præferebat commodo , ut mentis serenitatem , quæ per sinistros obnubilatur actus , perpetuò conservaret ; Sicut enim Nepenthes herba , secundum observationem Plinii , convivarum adhibitæ poculis , omnem animi dispellit mœrem ; non aliter mens integra & immunis à reatu , cunctam vitæ abolet solitudinem , spinasque curarum transmutat in rosarum fragrantiam .

Non via stratarosis , roseum sed fundit odorem ,

A rarer teritur , cum sit aranda , viris .

Assuescit duris sapientia , mollibus voluptas .

Servilis est genii , in adversis despondere animum .

GEOR-

GEORGII, EQVITIS ab HERBERSTEIN, Georgius.
FRIDERICI III. Imperatoris Romanorum, fidélis
 Consiliarii sapientia duris assuevit eventibus.

Apud copias Cæsariani Exercitūs in Styria Colonellus,
 inter adversas Fortunæ vicissitudines non unquam abjecte
 animum.

Pro ferendis ad Salutem Imperii Patriæque consiliis,
 in corde columbino oculum fovit serpentinum, cuius pru-
 dentia arduis rerum gerendarum negotiis frequenter one-
 rata sudavit & alsit, repudiata, quæ molles generat ani-
 mos, voluptate.

GEORGIVS turmarum Styriæ Dux & Ante-
 granus, in diversis belli occasionibus, ductori militum
 fæpenumero centuriatim occurrentibus, semper sibi præ-
 sens, non cessit unquam: cùm apprimè novisset, abjecti at-
 que servilis esse genii, ad fortuitos sœvientis Fortunæ ca-
 sus despondisse animum.

Solidat fidelitas aviti Generis gloriam.

Annulus erat Cor imperterriti Herois, & adamas in-
 clusus annulo, non unquam violata fides, quo se summo
 Principi *FRIDERICO*, aut potius toti gloriofissimæ
 Propagini *ARCHIDUCALIS AUSTRIACÆ*
DOMVS ad urnam usque devinxerat.

Ignorat infidelitatem animi generositas.

Intemerata fides illustre s occupat artus,
Et viret herois associata viris.

Viros bellicosos, Martis & Bellonæ pullos appellavit
 olim antiquitas.

GEORGIVS genuinum Martis pullum ut se pro-
 baret, in castris, armorum inter strepitus, bellicarum ma-
 chinarum glandes, strictosque acinaces, non absque discri-

C 3 mine

mine versari , ac hostium phalangibus in acie pectus monstrare maluit , quām domi effæminatos inter ac imbellies animos , fruges consumere natos , delicias inter hortenses , inque penu congestos victualium apperatus lucrari securitatem .

Sic itur per virtutem bellicam ad solium gloriæ , cūm tanti laboris merces non sit mortalitas .

Viri fortis est , nec infesto turbari , nec elevari secundo , sed ex utroque eventu cum moderamine eluctari .

Magnus & peritus navium gubernator , etiam laceris subindè , disruptisque navigat velis .

Prout in naturæ ac Fortunæ commodis non absque temperamento secundùm rationis cynosuram utendum est ; ita etiam incommoda , animo virili infraquo toleranda sunt .

Joannes.

JOANNES EQVES ab HERBERSTEIN , qui *GEORGIVM* non satis prædicatum , post quatuor sequebatur lustra , propter actus sanè heroicos *FORTIS* , & *LONGI* agnomen ob proceritatem staturæ assecutus est .

Casus inter infestos intrepido gradietur animo , ac in ipso cursu concenturiatæ felicitatis , fastum indolis aversatus , ad sanæ rationis arbitrium , semetipsum gubernare , moderarique noverat .

Tanti est momenti apud teneram ætatem solida localis fundamenta , quæ deinceps per succrescentem roborata convalescunt .

Juveniles annos exercitiis ludisque sociavit equestribus , ut maturior ætas , tantò validior ad patrandum fortia , magisque idonea redderetur .

Nullus in fortium virorum præcordiis aculeus , laudis & gloriæ cupiditate major est .

Ingens vero versatur discriminem , vanam inter fastuosamque ambitionem , ac licitam de jure cupiditatem :

Quis-

Quisquis enim ex illustri & avito sanguine natus est, ab ipsius naturæ, bullientisque sanguinis instinctu aspirat ad aliora, ut ad sui generis incrementum, Patriæque salutem fortia patrando, & contemnendo desidiæ nœvum, olim adiuncti nominis consequatur immortalitatem.

Et hanc apud posteros obtinuit, qui propriâ fortitudine, indolisque constantiâ nomen inscripsit heroum Catalogo.

Sangvis in illustri qui bullit corde, liquorem

Virtutis calamo suppeditare solet.

Neque secundarum rerum eventu insolenter abuti, nec lævo debilitari oportet.

In medio stetit **ANTONIVS EQVES** ab Antonius. HERBERSTEIN, quem fœcundum Cæsaris FRIDERICI Tertii seculum, in honorum stadio ostendit Orbi.

Omnia quæ possidemus missilia Fortunæ sunt; at illa nil corrumpit, vel auffert, nisi quod tribuit.

Ingenii dotes, animi benèmorati talenta, habitusque virtutis, sunt extra Fortunæ limites, quas opes suffurari non potest.

Abundabat **ANTONIVS** divitiis, quas uti ludibria sortis aspernatus, non apposuit cor thesauro, ut eò liberiùs mentali frueretur.

Talenta illustris ingenii præponderabant talentis auri, quæ **FRIDERICVS III.** magni æstimavit, & quia gustum ac appetitum irritaverant, voluit, ut **ANTONIVS** dapes afferret mensæ Imperatoriæ.

Satisfecit imperio Dapifer, unâque pocillator destitutus ad altiora, ut in hoc gradu faceret tyrocinium ascensuræ indolis.

Cum semel animum induravit virtus, undique invulnerabilem præstat.

Erant,

Erant, qui juveni Dapifero, & Pocillatori primam, tunc adolescentem inviderant sortem: sed acumina non poterant vulnerare pectus, quod virtus effecerat cataphractum.

Multum caliginis inserit animo, oborta felicitas: sed non animo **ANTONII**.

Cæsar comprobata fide felicis tyrocinii, majori munere vel pondere dignum, oneravit Spartâ Fürstenfeldensis Capitaneatus, ut qui subesse jam pridem didicerat, etiam aliis praesesse addisceret: Cui, dum à mensa Cæsaris longè remotus, arduis praesesset expeditionibus, interim **ERHARDVS EQVES ab HERBERSTEIN**, cui alimentum erat industria, in afferendis successit dapi bus.

Nihil est in Orbe pulchrius, quam cunctis vivere optantibus.

Omneshabere amicos & faventes, operosum est: sufficit, non ullos novisse inimicos.

Erhardus.

Non erat hoc operosum **FRIDERICO, EQVI-**
TI ab HERBERSTEIN, qui **JOANNI** ob decumanam fortitudinem celebri coætaneus, ac frater germanus, ob benè merita, & pacificæ naturæ insigne talentum **MVNDI AMICUS** communi ferebatur suffragio. Quis hoc titulo gloriosior?

FRIDERICVS omnes ut haberet amicos, ac omnium esset amicus, affabili humanitate, morum temperie, elargitione beneficiorum, animique integritate non fucata sibi conciliavit affectus.

*Hyblæos latebris non spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.*

Permagni laboris est, non diffiteor, vel unius duntaxat aut alterius sinceram sibi, minimè cerussatam conciliasse confidentiam.

Rarus

Rarus in terris amicus, rara mentis integritas, rarum ingenuæ conjunctionis officium!

Etenim fallax hoc atque fucatum seculum, non nisi similes sibi amicos generat, diffugientes cum expirante Fortuna. Denique non est amicus ad funeralem urnam.

Quis hyblæos colliget favos? aculeos vereri necessum est.

F R I D E R I C U S Serenioris erat filius seculi, in quo candor animi, amor virtutum, motumque integritas prævalebant modernis affectibus, nimium fucatae amicitiae toxicō inquinatis.

Sola consistit extra Fortunam, similesque rerum evenitus, æternatura virtus.

Dramaticam sortis virtus non horret arenam,

Virtutem in Lydio Fata sinistra probant.

Probavere satis **F R I D E R I C I**: qui licet **M V N D I A M I C U S** palam audiret, nihilominus tamen postremæ sorores, Invidia & Libitina rem acutetigere.

E m o r i m u r : Superum sic transplantamur in hortum,

N o n i b i l i v o r e d a x , n e c L i b i t i n a n o c e t .

A decimo quinto recuperatae Salutis seculo restabat annus, qui **G E O R G I O E Q V I T I** ab **H E R B E R S T E I N**, in **F R I D E R I C I III**. Cæsaris aula cum laude commoranti, fatalem attulit periodum.

An comes virtutis invidia miscuerit venenum, haeremus in bivio: hoc extra dubium constat, quod Juvenis floridæ ætatis, ad ampliora genitus, per beneficium, florem ac vitam amiserit, ut inveniret æternam.

Maximum animi munimentum fidelitas.

Laureata indoles non veretur tonitrua.

Redolens nardus, ad mentem Plinii solidat vires Leonis.

Leonardus,

LEONARDVS EQVES ab HERBERSTEIN, in decimo quarto Christi Salvatoris seculo *LEONEM* in se ipso ostendit, cui odorifera *NARDVS* fidelitatis in tantum roboraverat vires, ut ipsius laureata indoles, nulla adversantium fulmina, nec aculeatos livoris insultus vereretur.

ANDREAM habuit Patrem, & Matrem ex ilustri prosapia, sub quorum disciplina ubi benè moratam exegisset adolescentiam, prætextam exutus, *FRIDERICI III.* quò propriet foret summo Monarchæ ac publicæ gloriæ, aulam fecutus est; In qua non solum sui Principis, sed & Aulicorum gratiam & favorem in se attraxit, insigni prædictus submissione ac humanitatis officio. Non hæremus in ambiguo, quin perspecta fides plurimùm Imperatori *LEONARDVM* commendarit, quem gliscente Provinciarum dissidio, à suo avelli latere non concessit. Exciverat Cæsarem Romam tūm priorum Imperatorum mos, queis ab Apostolicæ Sedis fastigio, Corona Romani Imperii decus imposita: tūm salutandæ *ELENNORÆ* adventus è Lusitania, quam Neapolim ad solennia Nuptiarum deduxit.

Alterum dein iter ingressus est, ut deploratis in Austria rebus à summo Pontifice PAULO rogaret subsidium. In utroque itinere Cæsar *LEONARDVM* voluit comitem, vel in augmentum decoris aulici, vel in tutelam.

Lorica pectoris erat *LEONARDO* fidelitas, adeoque ut publicâ prædicaretur voce & suffragio *FIDELIS CAPITANEUS* Imperatoris *FRIDERICI III.*: diversas enim ditiones in Istria Cæsar, Carschensem nempe ac Aquilæmontanam crediderat *FIDELI CAPITANEO* administrandas.

Quò

Quò major, eò submissior LEO NARDVS.

Attamen agebat Leonem in regendo Populo, cui terrorē incusserat statūs auctoritas, unita nardo comitatis ac prudentiæ.

Facilis accessus ad Principem, inclinat Cor populi.

Quantumvis **L EO N A R D V S** leonem ageret, visu tamen facilis, dictu affabilis fuit, & neminem à vultu suo tristem discedere passus est, in una bilance timorem, & alterā amorem populi, justo libramine ponderando, cum Pescennino, olim Romanorum Cæsare, placere vivus, laudari mortuus voluit.

Pretiosissima victoriarum est, se vicisse.

Succubuisse, palmarem nescit honorem.

Victor erat **L EO N A R D V S** & victus: indolis enim affectus subjecit rationi, quæ vincebat victorem.

Sic vinci decus est, qui sic succumbere novit,

Non aliis vietas porriget ille manus.

Post amplorum meritorum congeriem, uno tantum anno, ante quintum **V ERBI I NCARNATI** seculum mortale pondus depositum.

Inter discrimina rerumque vicissitudines apparent primùm virilis animi generositas.

Legitimè certanti tribuetur adorea gloriæ.

Ad nullam Fortunam vacillet magnanima indeoles.

Hæc omnia suis expressit vestigiis **G E O R G I U S**, Georgius
EQVES ab H E R B E R S T E I N, qui primus ex antiquissima sua propagine, unâ cum fratribus **J O A N N E**, PrimiBaro-
S I G I S M V N D O, næs. **G U L I E L M O**, &
Cognato **B E R N A R D I N O**, ob Martiales, quibus plurimū aliis prævalebat, virtutes, Baronatus dignitatem ab Imperatore consecutus est.

Anno supra millesimum ac quingentesimum secundo,

vi^ctofia contra Bohemorum hostiles copias non procul ab Urbe Ratisbonensi obtentæ, Centurionem agens, interfuit, interq; cruenti discrimina belli, virilis animi palam ostendit generositatem: medias enim acies fulminis instar penetrans, assumptis secum nonnullis militum centuriis, Antesignanus Ordinem ex adversa parte præliantium disrupt feliciter, primum ponens vi^ctoriae deinceps reportatæ lapidem, ad ulteriora aperuit aditum; Ob quam magnanimitatem unanimi calculo Cæsariani Exercitūs audiebat

EXIMIUS & BELLICOSUS HEROS, cui

MAXIMILIANS I. Imperator, hoc meritæ laudis tribuit encomium.

Non satis erat in prædicto prœlio hostilem effusisse sangvinem, suumque exposuisse venalem inter machinarum bellicarum tonitrua: ad infestos novocalis Fortunæ impetus nunquam vacillabat **GEORGII** generosa indoles, quem Magnanimus Cæsar, Anno post millesimum ac quingentesimum octavo contra Venetos ducens Exercitum, **GENERALEM CAMPI DVCEM** constituit, ob jam pridem in compluribus belli periculis sat comprobata fidelitatem, rerumque bellicarum experientiam.

*Strenua mens ludit fortem, vincire lupato
Quæ voluit, palmas subjicit ipsa suas.*

Processit Eximus ac bellicosus Heros, tantarum Copiarum Ductor, contra Venetorum potentiam, quæ ab hoc **SCIPIO** Germano debellata, virium & acervati roboris non exiguum naufragium passa est.

Venetis hanc expeditionem bellicam plus quam quinque millionesauri constitisse, testantur Annales.

MAXIMILIANS posteaquam Venetorum humiliasset fastum diminuto Exercitu, indulxit veniam sancto fœdere, & **GENERALEM CAMPI DVCEM** adver-

adversus inferioris Austriæ Rebelleſ subditos , quos ves-
niæ impetus contra dominia & ditiones armaverat , cum
militaribus copiis ablegavit.

Annus agebatur decimus sextus supra quingentesimum
cum millesimo , qui ad cruentam ingemuit cladem Rebel-
lium , ac *GEORGIO* favit victoriam , si victoria nomina-
ri debet , quæ ex mediastinis , & mancipiorum manipulis
colligitur.

Triplex itaque laureas ex acie trifaria reportavit
EXIMIVS , & secundum illius seculi Famam *BELLICOVS HEROS GEORGIVS* , qui post tot reiteratas
victorias ac triumphos , in ultimo conflictu à Morte fata-
lem excipiens iactum , anno supra millesimum penes quin-
gentesimum octavo post vigesimum introivit immortalita-
tem.

Imperatoriæ sunt virtutes , labor in negotiis , in pericu-
lis fortitudo , in agendo industria , celeritas in conficiendo ,
& in providendo consilium . Bernardi-
nus,

Non solum Imperatoriæ Majestati , sed & fidelibus
throni Cæsarei Ministris , atque bellii Alumnis præfatæ con-
veniunt dotes , quas in *BERNARDINI BARONIS ab*
HERBERSTEIN generosissimâ , ac in utroq; statu tam
militari , quam politico , summè exercitatâ indole , ad amus-
sim expressas intueri licet .

Eadem ætas & *GEORGIVM* cum suis fratribus ,
primo Baronatûs charactere ac investiturâ insignem , unâq;
BERNARDINV M , quem *MAXIMILLIANVS I.*
Imperator in Consultorem eligens , Pro-Capitaneum Du-
catûs Styriæ , postquam exutus cassidem ac loricam , bello
renuntiasset , constituit , individuo sinceri affectûs conjun-
xerat vinculo .

Communi exercitûs Cæsariani suffragio *BERNAR-*
DINV S sub Generali Duce campi *GEORGIO* , *PRÆ-*
CLARVS MILES , inter belli discrimina ac vicissitu-

dines generosus, ac imperterritæ mentis, diversis velitati-
nibus, arduis conflictibus & prœliis, inter MAXIMI-
LIANI, Venetorumque copias exantlatis interfuit: nul-
lam aversatus conserendi manus occasionem, maluisset pro
salute SUMMI PRINCIPIS, ac augustinissimæ DO-
MVS ARCHIDVCVM AVSTRIÆ emolu-
mento, suo sanguine pugnæ arenam inquinari, quâminglo-
riùs ex acie fugam eligere ad securitatem.

Post castrense sagum, dum in statu Politico illustres
inter Aulæ Cæsarî Ministros Consiliarium ageret, qui an-
tehac in bello Marpesiam in manifestis periculis fortitudi-
nem, deinceps strenuum in sibi commissis negotiis labo-
rem, atque in agendo ostendit industriam.

In Pro-Capitaneatu Styriæ, cùm boni Præsidis officio
conveniat vigilantia, Saluti publicæ, quam pupillam ocu-
li appellare solitus est, vires animi devovit, ac corporis.

Bonus est Princeps, qui suos servat subditos in capite,
melior, qui in corde, pessimus, qui in ventre.

In medio erat virtus BERNARDINI; in Corde ni-
mirum sui natalis gremii Styriæ augmentum radicatum es-
se voluit, pro necessitate subsidiarias egenis exhibens ma-
nus, in quibus non dabatur vacuum.

Felix seculum, tot tantisque viris ac Heroibus glorio-
sum! in quo præ cœteris excellebat ingenio magnanimita-
te & rarâ planè virtute SIGISMVN DVS BARO
ab HERBERSTEIN.

Priusquam cohortes bellicas summi Principis, Re-
gumque aulas accederet, Scientiarum, maximè verò elo-
quentiæ in palæstra solidam posuit basin ac fundamentum
deinceps impetratae felicitatis, & gloriæ; qui transacto
Viennæ biennio, gradum Baccalaurei cum peculiari hono-
ris encomio asseditus est.

Quantos labores in flore juventutis tam equestribus
exercitiis quam studiis inhærendo impenderit, recensere
super-

Sigismundus.

superfluum est. Cursu Juris laudabiliter absoluto, pedem movit ad aulam, in qua varias exercendo virtutes, erga omnes insolito humanitatis officio proclivis, diversa subiit munia, usque dum ductrice sapientia, quā prae reliquis eminebat, ad altiora ficeret gradum.

Prius verò positis literarum sublimiorum fundamentis, *SIGISMUNDVS* non dispari felicitatis eventu, quā calamo, ferro utebatur.

Non ulla in Orbe existit Fortuna, quam non adaugeat gloria scientiarum notitia: harum enim cognitio instruit ac solidat arma, & ea vicissim reciproco amplexu decorant scientiarum soliditatem.

Plerique Juvenum militiam depravando transvertunt in vitæ licentiam, fracti laborum tædio, ad obtemperandum desides ac somnolenti, delicatisque vitiis animum magis saucium, quām honestis cicatricibus signatum corpus ostendentes: horrida tamen bella, terribiles conflictus ac proelia ore gerunt, nunquam manu.

Aliamens erat *SIGISMVNDO*, qui prima Castrorum rudimenta Juliacensi Principi, Supremo copiarum Duci, per adhibitam industriam in Pannonia, (quò Imperator ad edemandam partium pervicaciam moverat exercitum) approbavit, qui incommoditates ac onera belli, hilari mente sufferre, difficultates ultrò experiri, disciplinam militarem addiscere, imperia Tribunorum prævolare, ob formidinem nil unquam effugere, neque per juvenilem impetum ac arrogantiam, sine præmeditato evenitu fortunati successus attentare instituit, cui ob cognitam animi generositatem & promptitudinem, copiarum Duotoris affectus Aquilas legioni præferendas commendavit.

Usus armorum generoso Juveni addebat stimulum, cupiditate militaris gloriæ mentem ad majora instigante, eâ præsertim ætate, quā Austriacorum Fortunæ diversos inter hostes laborabant.

Egregia

Egregia diversæ stationis in bello subivit munia , eò magis gloria , quò periculosiora fuere , è quibus tandem à Cæsare *MAXIMILIANO I.* Oenipontum evocatus , aureo torque in perpetuum throni Cæsarei ministerium devinctus est .

Cæsares , magnosque Monarchas oculos Solis æmulari , abundè liquet , illustrant universa momentoque perlustrant .

*SIGISMVN DV*S quamprimum accessit solium Imperatorię Majestatis in genua proolutus , confessim ejus præclarum ingenium & singulares animi dotes patuere Soli *MAXIMILIANO* , quem aulici Senatūs initiatum sacramento adhibuit consiliis . Non multum intercessit temporis , quum etiam Senatui Ordinum Ducatus Styriæ , ex arbitrio Cæsaris adscriberetur . Utriusque dignitatis officium , repudiata munera oblatorum societate geslit pro virili .

Apparebant tunc in Juvene Consultore præstantes literarum fruges , experientia legum , consiliorum maturitas & senilis prudentia .


Quæ illustres indolis virtutes in augusto Orbis emprio , cùm pro altioribus certarent honorum gradibus , cui potissimum applicandus foret *SIGISMVN DV*S in ambiguo constituere Imperatorem : & cùm Eundem oneri parem ferendo agnosceret , fidemque probasset saepius , arduum Legati munus imposuit . Sena jussu Cæsaris suscepit itinera , per Universam Germaniam , Sarmatiam , Russiam ac Pannoniam ; postque diversas Legationes in Daniam contendit , ubi Christiernus Rex , regnante palam rerumque potiente adulterā , regalem violaverat thorum , repudiata Isabellā , quam ex Austriaca Domo natam , Cæsaris filiam , *CAROLI* sororem , sibi junxerat connubio .

Mandati erat compendium , ut Regi Daniæ indicaret iram Cæsaris unaque dolorem è tanto conceptum ac irritatum flagitio : monstraret coram sceleris turpitudinem ,

Proce-


GVTENHAAG

Wie es denen von Rakojpyt kommen den erschienet



Vijcher dahn

Aroft



Procerum aversionem, odia populi, qui Scorto obtemperare cogerentur, & in manifesta Regum scandalosissima delicta paratam Vindicis DEI poenam.

Jussu Cæsaris, affinitate Regi propinquos pro impletandis Austriacæ causæ Oratoribus adiit Saxonem, Mo-guntinum, Brandenburgicum ac Mechelburgicum Principes, assumptisque Hispaniæ Legatis, in eorum aspectu,
 „ Christiernum sic] assatus est : *Adverte in me Cæsar is*
 „ personam, alias offendam vereor, & me dicentem
 „ Rex sustine.

„ Quærunt ex Te Domini nostri, quærerit Cæsar, num
 „ Austriaci nominis, num Tui recorderis, adscitâ in
 „ Isabellæ thalamum palam regnatrice adulterâ.
 „ Parce, jussus vera loquor, fædifragus, immemor
 „ sanguinis, Amicis injuriis ; incurius Regiæ digni-
 „ tatis es.

„ Hoc justissimo dolore consternati Austriaci, hoc
 „ paternâ adhuc irâ succensus MAXIMILIA-
 „ NVS conqueritur, & nî emendes infamiam, Cæ-
 „ sar irascetur. Animum tanti per reflecke, quo in re-
 „ rum statu Majestas Tua verisetur ?

„ In exterorum ludibrio, in tuorum contemptu.

„ Consule antiquitatem, recentia quoque, & nostra
 „ inspice : ubi unquam impunita & felix diu Magno-
 „ rum peccandi libertas ?

„ In publicas Regum libidines, odia Procerum,
 „ & populorum seditiones plerumq[ue] ira Cœli excivit.

„ Regio Te igitur nomini, populorum amori, &

„famæ restitue. Ejice Venerem ad originem suam,
„Bataviæ paludes.

„ Scito Rex, nisi eâ ejectâ, perpetuus lateri tuo assi-
„stam, identidem Austriacorum querelas, Cæsaris vo-
„ues & minas objiciam.

„ T'ubreviter elige: Orbem an Pellicem offensam
„velis.

Hæc ex actis Familiæ excerpta **SIGISMVN-**
DVS coram Rege Daniæ Christierno, (cujus alioquin
ferociam annales contestantur,) imperterritu animo elocu-
tus est, unde in hoc magno Oratore, majorem adhuc ma-
gnitudinem spiritus colligimus, & admiramus.

Postquam **MAXIMILIANI** obitus tristes Pro-
vincias interque adversa luctantes destituisset, rogatu com-
muni Ordinum Styriæ in Hispanias movit, ut **CAROLO**
Hispanorum Regi res desolatas patriæ, uti pupillam com-
mendatum iret.

Arduum sanè ac periculosum iter ingressus usit; dum
enim ad salutandos Principes Italiæ se infido committeret
Oceano, exorta repente tempestate, tævientibus in navem
procellis, prope Majoricæ littora, inter cautes procerasq;
rupes collisâ puppe, in supremo versabatur discrimine: At
vitæ **SIGISMVN'DI** conservandæ faventes Superi, so-
pito ventorum impetu, pelagoque inquietem composito,
Lisbonam & Molinum Regium tuto dein itinere **SIGISMVN'DV'M** transtulere; Ubi apud Monarcham
Hispaniæ, quem salubritas aëris, & ruris viriditas Molin-
um Regium exciverat, res Styriæ peregit feliciter; & cum
ceterarum Provinciarum Legati facerent dicendi primor-
dium, vel per invidiam vel æmulationem jussò silere **SIGISMVN'DO**, daretque Præses Hispaniæ responsum la-
tini idiomatis; iidem aut hujus lingvæ ignari, aut imparata
facundiâ tergiversantes, ex incusso metu, Styriæ Legatum
adhi-

adhibito hortatu & obtestatione clām commoverunt, ut eodem sermone, præsente Principe, Præsidi ac Senatui referret gratias, quas etiam singulis inexspectataam eloquentiæ copiam & fluxum admirantibus, summā laude peregit.

Posthac sub *CAROLO V.* ac dein *HERDI-*
NANDO I. quadraginta prope annis, penes cœteras quas suscepit dignatum & ministeriorum functiones, munus Oratoris supplevit, Pannoniam, Sarmatiam, Universi Danubii, Rheni, Borysthenis, Rha, Albiique fluxus, & diversa maria peragrando, itineribus sœiente belli tempestate, cædibus hostium, flagrantique contagione infestis. Ubiique gentium arduis conflictatum curis; uti enim augusti, ita graves legationum accidebant tituli. Ad Basilium Moscoviae Ducem pro pangendo fœdere; ad Solimanum Turcarum Monarcham, ut postularet funesti belli iustitium, profectus est.

Apud probos & prudentes Monarchs, fidelium Ministrorum curæ pro Imperio & incolumitate publicæ salutis exantlatæ, non ullum unquam dignitatis gradum desiderant: de Republica enim præclarè meritos ornare honorum præmiis, probi atque prudentis est Principis, in bilance judicii benè merita per se ponderantis.

Cæsaribus ex Austriaco sanguine progenitis, quemadmodum sublimem dextramque gubernandi artem, sic inemensam munificentiam ac benignitatem ipsamet natura cœlestesque influxus indidere. Ac proinde sui fidelissimi Ministri obsequia, Uterque Imperatorum, amplissimis honorum suffragiis decorarunt, concessis (ut alia sileam privilegia) Scuto Gentilitio novis ac augustis Insigniis, universæ Familiæ Baronatu, perennique per nepotes ac posteros hereditarii Camerarii Dapiferique in Carinthia auctoritate. Insuper *SIGISMVN'DVM CAROLVS* Imperator inferuit Ordinibus Ducatus Styriæ, ac Spirensis Senatus Collegio, quem in Comitis Norinbergensisbus

gensibus, loco Domus Austriacæ inter Proceres considere, eamque Majestatem Legatum sustinere jussit, insigni tantæ dignitatis ac præcellentis sapientiæ famâ, ac publicâ demonstratione.

A FERDINANDO verò duarum Reginarum Aulæ Præfectus, æmularum livorem eluctatus, Regimen Viennense, bellicumque Senatum suis talentis mirè exornavit; usque dum à prædicto Cæsare, aulæ suæ ærario, summi Præsidis munere præficeretur.

Eximiæ dignitates, magnarum solitudinum materiam suppeditabant *SIGISMUNDΟ*.

Operosum est, spredo proprio, solum sui Principis procurare commodum, intemerata continuè famâ, neque obortis è suspicione vulgi convitiis: Siquidem plerisque in natum quasi animadvertisse, aliorum inculpare auri argentiique famem, ut queis non difficile propriâ persuadet conscientia, paucos inveniri, qui opulentissimæ functionis commoditate abuti non ambiant.

At fidelitas *SIGISMUNDI*, quæ inter divitiarum Summi Principis acervos incorrupta stetit, ac intemerata ad beatos Manes transtulit Coloniam, obtinuit gloriam ac Cæsarism fiduciam. Habentur adhuc authenticæ, manu propriâ scriptæ *FERDINANDI* epistolæ, quarum unam, ad *SIGISMUNDUM*, relaxationem laborum flagitantem directam afferimus.

„ Agnosco Sigismunde, par ferendo oneri amplius
 „ non essem, fractus ætate, itineribus & obsequiis no-
 „ stris, nisi vires tibi adderet Principis amor, quem
 „ satis ex Fortunis meis æstimo; sed Tu adhuc Prin-
 „ cipi Tuo te amplius indulge.

„ Grave pecuniæ onus & curas sustine.

Fer-

„ *Ferdinando etiam annis adulto , viribus frāctō
succurre. Horum temporum momenta te abesse non
ferunt , experientiam ac fidem tuam desiderant , &
Fortunas nostras adhuc succollare potes.*

„ *Fessæ tibi vires , sedē Senatu , ē gestis pro Republi-
ca , quales ad Principum curas semper validiores sunt ,
præ vegetis , sed inexpertis . Refice Te subinde nostri
memoriā & amore . Nihil ab illo merita tua pos-
cent , quod ad famam tuam , prosapiæ decus facit.*

SIGISMVN DVM deinde **FERDI-**
NANDVS assiduum jussit esse sui lateris comitem ,
quem sæpius in levamentum doloris ac curarum adhibuit ,
præsertim quum in suprema ægritudine valetudo conflicta-
retur . Agoni proximus , dimissis è Conclavi reliquis , ad-
huc sui **SIGISMVN DI** vultu ac colloquio frui vo-
luit , fessis oculis identidem respiciens ac debilitato eloquio
supremūm valedicens . Tantum valuit apud Cæsarem
agonizantem probata **SIGISMVN DI** fides ,

Trium denique Romanorum Imperatorum , nempe
MAXIMILIANII. CAROLIV. &
FERDINANDI I. Consiliarius intimus , Game-
rarius , ac aulicæ Cameræ seu ærario Præsidens , studuit hu-
militati : qui à **PRIMO** magnanimitatem in adversis , à
CAROLO , quem **MAXIMV M** unani mi prædicar-
bant suffragio , res maximas feliciter expediendi facilita-
tem , à **FERDINANDO JVSTO** , dotem moderam-
nis ac justitiæ , per universum ferè Orbem Cæsareus Orator
atque Legatus , mutuatus est .

Dives ingenium terrenis præstat divitiis .

Eloquentia, quâ magna rerum publicarum peraguntur munia, maximum est eruditionis ornamentum.

SIGISMUNDVS pollebat opibus ingenii, ac doño raræ eloquentiæ, qui ob rerum multarum cognitio-
nem, clarorum talentorum excellentiam, & maturitatem
judicii minimè Phrygiam, sub præfatis Imperatoribus
TRIGINTA & QVIÑQVE LEGATI-
NES, (quarum aliquæ superius jam enumeratæ sunt,) in arduis Imperii negotiis summâ cum laude dexteritatis
absolvit.

Legatus reiteratis invisit vicibus Turciam, Regna His-
paniæ, Galliæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ ac Ducum Ele-
ctorum, aliorumque Imperii Principum Ducatus & ter-
ritoria, nec non Moscorum & Tartarorum ditiones, ubi
hoc munere functus pro salute publica, propter admiran-
dam lingvæ facundiam, morumque exquisitorum gravi-
tatem, suavi unitam comitati, vix non pro oraculo habe-
batur.

Hoc unicum tantæ defuit felicitati, absque heredibus
depositisse exultæ mortalitatis exuvias, anno supra mille-
simum & quinquagesimum sexagesimo sexto, V. Cal. A-
prilis, quem Universum lugebat Imperium.

Qui missus fuerat varias Legatus in oras,

Nunc merito spatiū jure quietis habet.

Quanti **SIGISMUNDVM** æstimarint Cæsares,
Reges & Archiduces, dabimus ex ungve leonem, duplex
videlicet Epitaphium Augusti Encomiastæ, Serenissimi
ARCHIDUCIS AVSTRIAE CAROLI proprio
elaboratum genio, & ad S. Michaelem Viennæ erectum in
piè defuncti dignissimam laude memoriam.

CAROLVS ARCHIDUX AVSTRIAE

F. F.

Monu-

Monumentum SIGISMUNDI
BARONIS ab HERBER.
STEIN, &c.

Non moror hanc Christo repetenti reddere vitam,
 Et vixisse mihi satis, & vidiisse superq; est
 Tot maria & montes, tot flumina, totq; paludes,
 Tot Reges Dominosq; Orbis, tot Regna, tot Vrbes:
 Nam mare concendi, supra, quodq; alluit infra
 Italianam, remis hinc prætervectus & illinc,
 Baltheaq; emensus freta, non Balearica solvens
 Sardiniae ingredior, gelidiique Borysthenis oras,
 Rhaque cava tacito stringentem flumine ripas
 Trajeci, Tanaisq; supra caput osq; nivosi.
 Nusquam Riphæos didici consistere montes,
 Tamq; Albim & Rhenum, fluviūm binominis Istri
 Navigiis superans, Legati munus obivi,
 Atq; Sigismundum moderantem jure Polonos,
 Lithvaniæq; Duce, mos est quem dicere Magnum,
 Sæpe salutavi verbis & nomine Regis
 FERNANDI, & toto divisos Orbe Mosynos
 Non semel atq; iterum magnis de rebus adivi,
 Moscoviaq; Duce Magnum sum affatus in Vrbe
 BASILIVM. Hinc Danis, Norvegiis atq; Suëdis
 Imperitantem adii CHRISTERNUM, non sa-
 tis æquo
 Dissidio, sandi turbantem fœderale di.

Libe-

*Liberius monui infami desistere cæpto,
Hæc mandata ferens à Cæsare MAXMILIANO.
Ipsum etiam Hungariæ Regem, Dominumq; Bohæ-
mis*

*LUDVICUM accessi, Regno & florentibus annis.
Nam verò multis locuples Hispania regnis
Cognita, & Hispanis non cedens Belgica regnis,
CAROLO ubi Austriacam regionem nomine
QVINTO*

*Ceū Patris orbatam interitu commendo pupillam.
Præterea DECIMVM Romanâ in sede LEO-
NEM*


*Confexi; Veneti Dux LAUREDANE Senatus
Cognite porrò mihi es, notique fuere Dynastæ
Imperii plures, quos hic numerare molestum est.
Ecce autem! Hungaricis ubi rursus se applicat oris
Et nostros miserâ SOL YMANVS clade pere-
mit*

*Ne quicquam longâ Budam obsidione prementes,
Ipsius horrifica subnixi sede tyranni
Altius erectæ fixi stans oscula dextræ,
Quam prona in terram melior pars Orbis adorat.
Principis inde mei Gnatam deduco Polonos
Reginam in Regis thalamos. Belliq; togæque
Expertus casus varios, hæc inter, & olim
Militiæ emeritus veterana stipendia juvi
Consilio, interea innocui compendia Fisci*

Lingua-

GUTENHAAG

Wies die von Moheregg Komende anzusehen haben.



100
CANTICO

52

Lingvarumq; potens, injuria ac fædera fidum
 Præsto ministerium, studioq; senesco laborum.
 Publica privatis præponens commoda lucris,
 Respondente tamen fidei sorte, atq; favore
 Austriadum Regum domui rem lingvo, decusq;
 Et prisci generis stemma haud inglorius orno.
 Vitâ igitur plenus, quam sum mihi conscientia etiam
 Gnaviter in vitæ officiis sine labe, notaque
 Emagno veluti satur, expertusq; theatro
 Cedo lubens, & nostra, do lampada, gesta sequenti.

CAROLVS ARCHIDUX AVSTRIÆ
 F. F.
SIGISMUND O Baroni ab HER-
BERSTEIN, Domino in Neyberg
& Guttenhaag, &c.

Itala me primo tellus sub flore juventæ
 Auratâ Patriæ donatum torque remisit.
MAXIMUS ÆMILIVS Cæsar, virtute fi-
 deq;
 Forte meâ adductus, Patrum me protinus aulæ
 Consilio adscripsit, requies hinc nulla laborum
 Factamibi: magnis de rebus iussa peregi,
 Fœderibus junxi Reges, pacisq; tuendæ
 Accendi studio, latè quâ Rhenus inundat,

F

Danu-

Danubiusq; pater, vagus Albis, Vistula, quæq;
 Dura Borysthenides colit impiger arva colonus,
 Et gelido manat Tanais de fonte nivosus,
 Rha leni placidas quâq; agmine lambit arenas,
 Navigiis penetrans, lustravi cœca Rubonis,
 Crononisq; fluenta, & inhospita tecta peragrans
 LEGATVS mandata tuli, Regumq; superbas
 Accessi sedes, gemino subjecta Trioni
 Balthea transavifreta, magni Regia nostræ
 Danorum Domini lætata salutis honore.
 Quem gestis rebus me Cymbrica, Chersonesus
 Excipit, & Patriæ reddit, charisq; propinquis.
 Post ubi mortalis defuncto munere vitæ
 CAROLUS acer avo successerat, hunc quoq; dulcis
 Impulsus Patriæ precibus de more salutans,
 Indomitos adii populos, & ditia Regna
 Hesperiæ: reducem deinceps FERNANDVS ab
 aulæ

Consiliis statuit, latè quo Regna tenente
 Aretoo iterum Reges populosq; revisi.
 Hinc mihi pro meritis, serisq; nepotibus audum
 Libertate decus, quod nulla aboleverit ætas.
 At postquam invasit Solymanus mœnia Budæ
 Accensum furiis, vim perniciemq; minantem
 Pannoniæ, Orator compressi, diraq; retro
 Anostris suasi jugulis avertere tela.

Hinc

*Hinc nunc defundus curis, post fata quiete
Sopitus placidâ, justi dum buccina somnum
Judicis excutiat, dormiscam. Vive Viator,
Exemploque meo Patriæ servire memento.*

SIGISMVNDO, licet gravibus curis Legationum immersus esset, nihilominus tamen multa lectu dignissima conscripsit, ac inter reliqua Res Moscoviticas, originem primamque seriem sui Stemmatis, quæ commissa proelo publicam viderunt lucem. Ethæc sufficient de Viro, ac Heroe glorioso *SIGISMVNDO*, cuius emerita laus postremum durabit in ævum.

Tam armis, quam probitate, erat olim symbolum *An-* *Joannes.*
degarri Comitis de Salano.

Rarissima est apud insomnes genios, qui castra sequuntur, manusque hostili maculant sanguine, Superis amica probitas.

Probum fuisse non pœnituit: Nec pœnituit *JOANNEM BARONEM ab HERBERSTEIN*, animosum militem sub Exercitu Cæsarisi *MAYIMILIANI I.* contra Venetos, ac dein adversus portam Othomannicam, omnem roboris conatum promovente: Et tamen inter gliscentem bellum progressum *JOANNEM PROBVM* militaria dixere suffragia, ita ut magnanimitas nil derogaret probitati, nec probitas magnanimitatis retardaret imperium, saluti publicæ immolatum.

Sub eadem ætate *GÜNTHERVS BARO ab Güntherus.*
HERBERSTEIN sub signis Cæsarianis militans,

contra effrenes Turcarum insultus , glorioſa morte occubuit in acie, non procul Tokajā in Regno superioris Hungariae.

Sic mori pulchrum est, ac honorificum.

*Quisq̄ sibi fabricat Fortunam, strenua virtus
Dum ferit incudem, gloria gyrat opus.*

Heroum Fortunam sibi fabricavit **GÜNTHERVS**, pro Summo Principe **MAXIMILIANO** excipiens vitæ laudabiliter actæ sanguineam analysin , cuius nomen cruento inscriptum Posteritati , pro meritis coronat gloria.

Ex morte glorioſa nascitur æternum decus.

Georgius.
Christopho-
rus Sigis-
mundus.

Non minori se laude dignos reddidere **GEORGIVS**, ac **CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS, BARONES ab HERBERSTEIN**, qui sub Aquila Imperatoria pugnantes occubuerunt feliciter in flagrante proelio : feliciter inquam ; quia dum Imperio ac publicæ incolumitati impenderent vitam , felicitatem sui Nominis propagaturi , æternæ se inscripferunt.

Ita quondam magni heroes , generosiq; milites pro aris ac focis bella gerentes fatalem periclitati periodum, adhuc vivunt in Annalium memoria , quibus

Lætior affulget jam Sol post nubila , gaudet

Post pluviam fructu nobiliore solum.

Videtur magnitudo animi , quasi splendor quidam , & ornamentum esse virtutum omnium.

Viri

Viri constantis est, novercalem despexisse Fortunam.

RUPERTVS BARO ab HERBERSTEIN, MAXIMILIANI I. deinceps CAROLIV. Colonellus, præclarâ animi dotatus magnitudine, resultantem Fortunam conatu elusit, immo despexit heroico, qui in Exercitu Imperatorii, Expeditione Turmarum Antesignanorum, suarum virtutum datus specimina, non ulla vitæ veritus discrimina, belliisque vicissitudines, Leonis instar præcessit, ut sequerentur Ducis vestigia velites.

Rupertus.

In Pannonia postmodum superiori, super copias Cæsarianas, Supremi Doctoris adeptus auctoritatem, anno supra millesimum & quingentesimum vigesimo quarto, omnem bellum curam ac solitudinem eò direxit, ut in commisso tantæ dignitatis gradu, militarem Rempublicam salvam integrumque conservaret, prudentiâ maturo primatu suffragante.

Qui navim gubernant per agiles remos, alienâ voce utuntur & jussu: qui vero administrant Rempublicam, togâ vel sago, in se ipsis habeant sapientiam oportet, ne opus sit alienâ voce.

CAROLVM V. Imperatorem, ob summam, quam florebat, magnanimitatem, & cœteras virtutes Imperatorias, Germani **MAGNV M**, Supremus Romanæ Ecclesiæ Monarcha **PAVLVS**, hujus nominis tertius **MAXIMVM M**, Galli **HERCULEM**, Itali **DAVIDEM**, Siculi **SCIPIONEM AFRICANVM**, Hispani **ALEXANDRVM MAGNUM**, Turcæ **FVLIVM CÆSAREM**, & Africani **HANNIBALEM** appellarunt: continuis enim belli curis occupatus, septuaginta

ginta numero bella ad fortunatam deduxit coronidem , quadraginta solennibus victoriis secundum Fastorum fidem reportatis.

Georgius.

Sub hoc gloriosissimo Cæsare **GEORGIVS BARO ab HERBERSTEIN** egit Consiliarium , & Generalem militiæ in Styria Ducem.

Non via facilis ac instrata rosis ducit ad honores.

Magnanimis viris aspera toleranda sunt Fata.

Perfidelitatem atque industriam datur ascensus.

Qui fidelis est Summo Principi , debitum absolvit officium , & inde posthumam meretur gloriam.

GEORGIVS nullius asperitatem laboris aversatus , munus incorruptæ fidelitatis erga Cæsarem , emensis saepenumero belli periculis , per industriam confirmabat.

Sic per viam arduam ad trophæum.

Comiter ac discretè suæ fidei commissos dirigens , propensas Exercitūs voluntates tam fortiter sibi devinxerat , ut non regere , sed animos & alacritatem militum , oculorum nutu alliceret videretur.

Perpetuum ut sui nominis appenderet anathema , in dandis consiliis se facilem , per rei militaris experientiam in arduis efficacem , ipsoque in actubellico generosum præstítit , Omnibus in exemplum.

Unicum excessum fecit , si absque reatu excessus nominari potest , in humilitate : dum nimium erga coætaneos exhiberet submissionis , quod quasi naturæ inditum credebatur.

Tantæ

Tantæ mansuetudinis erga omnes, ut subditi non Dominum, sed suorum bonorum Protectorem se habere affirmarent.

Hoc sanè pulchrum est, ac decorum, seminare beneficia & favores, etiam in immerentes.

Nihil ita dulcescit animo, quam præteriorum laborum memoria, nil vero magis prodest, quam injuriarum oblitio. Gulielmus.

GULIELMUS BARO ab HERBERSTEIN, sub Exercitu CAROLI V. Imperatoris Colonellus, posteaquam in diversis velitationibus & prœliis egisset antesignanum, post bellicos catervatim exantlatos labores, post tot discrimina rerum, sortisque varietates, tandem ad aulam revocatus, Vice-Supremum Aulæ Praefectum induere jussus, præteritos bellî labores saepius revolvens animo, inde se dulcedinem experiri, omniumque injuriarum oblivionem sibi esse proficuam, testatus est.

In rebus sapienter peragendis providentiam, in subministrandis consiliis maturitatem judicii, ac in regendis subditis adhibuit prudentiam, cum rigoris moderamine, & peculiari affectuum temperamento. Tandem satur anorum & laborum, mortalitatis exuvias credidit urnæ sepulcrali.

Pietas est cœlestis gratiæ prodroma, cuius effectus idoneus est consequendæ saluti, ita disposuisse vitam, ac si in omnium oculis assiduò versaretur. Joannes.

JOANNES BARO ab HERBERSTEIN non solum virtutis suffragio, sed etiam vulgi voce

voce *PIVS* audiebat. Et cùm tantæ sit efficaciæ , ut ipsum cor Divinitatis sibi conciliatum ad se trahat pietas ad omnia utilis, quid mirum, si *M A X I M I L I A N I I.* & *C A R O L I V.* Imperatorum affectus tantoperè sibi devinxerit *JOANNES*, ut ab iis variorum honorum titulis coronaretur.

In militari Expeditione adversum Venetos & Turcas strenuus Miles, sic pugnavit, ut non recederet à pietatis officio.

Anno post quindecim Christi secula trigesimo , & ultra , in aula *C A R O L I* Imperatoris diversa ferebat munia, donec ipsi pietas, cœli clavis, januam melioris vitæ aperiret.

Exeat ex aula qui volet esse pius, jam obsoletum est: *JOANNES* enim in aula diu conversatus, pietatis amanssissimus, hanc sibi in sponsam, cuius formæ dignitas nec morbo deflorescit, neq; senio minuitur, assumpsit, & conjugium non violavit unquam divortio: Et, cùm pietas sit mater omnium virtutum, suo Marito per virgineos amplexus, genuit immortales.

Sed in quo thalamo egit pueroram? in corde *JOANNIS*, quem diligebat *J E S U S*, qui etiam agonizantem extra dubium consolatus est, unâque cum conjugé ac liberis in cœlestem transtulit Paradisum.

Cum sint ingenuæ pietatis sidera merces,
Ex aula MILÆS migrat ad astra PIUS.

Annustum temporis supra millesimum ac quingentesimum, quadragesimus agebatur & quintus, quod seculum
è Stem-

36

è Stemmate *BARONUM ab HERBERSTEIN* complures habuit, qui castra sequerentur sub vicitribus signis *CAROLI V.* Imperatoris gloriosissimi.

Ex illorum fuere numero *OSWALDV S, GREGORIVS, CHRISTOPHORVS, ac JOANNES JACOBVS* Cæsareus Dapifer, *BARONES ab HERBERSTEIN*, qui in expeditionibus Hungaricis contra Turcarum copias generosè certantes, gloriosâ morte auctus heroicis coronarunt, ac inter arma floruisse, nec non sanguinem pro aris & focis immolasse, exemplum illustre reliquerunt Posteris imitandum.

Oswaldus.
Gregorius.
Christopho-
rus.
Joannes Ja-
cobus.

Aliquot secula, quæ præcessere, vix non plerosque Martis alumnos ac Bellonæ filios produxere: dabit & ultimum, quod sequetur, non degeneres ex hac illustri Prosa-piâ, cui Martialis indoles planè ab origine innata, vel lacte cum materno infusa, nil magis elegit gloriosum, quam pro incolumitate *IMPERII, ac ARCHIDVCALIS DOMUS AVSTRIACÆ*, interarma versari, perque auctus bellicos innotescere Posteritati: at simul etiam hoc observatu dignissimum, eosdem in præcipuis aulæ Cæsareæ Regiæque Ministeriis ac functionibus fuisse occupatos, ut judicare non liceat absque temeritatis vitio, an per artem bellicam, vel per dignitates aulicas plus honoris & gloriæ fuerint consecuti:

*Nam Bellona dedit palmas, tulit aula decorem,
Utraq pars magni munus honoris habet.*

Diuturnæ magnarum Urbium obsidiones, sunt magnorum Castrorum cœmeteria & sepulturæ.

G

GE-

Georgius.

GEORGIVS BARO ab HERBERSTEIN, sub *CAROLO QVINTO* Supremus Campi Dux , ac dignus tanto gradu Capitaneus Styriæ , hoc ipsum expertus est , non tamen sine sui nominis pulcherissimo charactere : Nam varias Urbes extra Romanum Imperium ad mandata sui victoriosissimi Cæsaris obfederat , quæ non exiles militum consumpsere copias ; verum , cùm ingenitâ instaret generositate , obfessas in sui Monarchæ rededit potestatem .

Postquam verò *CAROLVS* omnium propè gentium calculo celeberrimus Imperator , *FERDINANDO* Fratri hereditariorum regnorum gubernationem , ac fasces Imperii , Filioque suo *PHILIPPO* , Regnum Hispaniarum , Belgicas quoque Provincias resignasset , annoq; supra millesimum quingentesimum quinquagesimo quinto cum Sororibus *ELÆONORA & MARIA* , sibi pro restantis vitæ diversorio , Ascetarum Divi Justi cœnobium in Provincia Estremadura electurus , in Hispaniam transfretasset , *GEORGIVS* pertæsus curarum belli , sagum Castrense versurus in togam , Capitaneatum adiit Styriæ , quem haçtenus administraverat per Vicarium . Et ut gratio accederet comitatu , nympharum triadem adoptavit in consortium , Charites videlicet , quæ omnium necessitati aperiebant accessum ad Styriæ Protectorem .

Ne inopes , & ab aliis derelicti perirent , in ipsis suum Gazophylacium ; atque semetipsum , ne paterentur naufragium , constituit in portum , in quo , spes egentium suam figebat anchoram . Grāndem denique thesauri portionem per manus pauperum præmisit ad cœlum , ut ibi non egeret .

Cūm

Cùm tandem *GEORGIVS* ætate fessus , mortales exuvias urnæ deputasset funerali , successit in hac dignitate Capitaneatûs Styriæ *GEORGIO* , alter *GEORGIUS* , sed *CRASSVS* , *BARO ab HERBERSTEIN* : Georgius
Crassus.
attamen non morum ac indolis crassities hoc nomen impresserat Primati telluris patriæ , quem ipsa genuerat humanitas , gloriosi Antecessoris lactaverant Charites , animique educaverat mansuetudo , sed nimia corporis obesitas , naturâ virium robori suffragante .

Humanæ competit indoli humanitas , ac mansuetudo coronat animi talenta .

Beneficentia potius , quâm incusso timore elicienda est benevolentia populi .

GEORGIVS , dum sui corporis spissitudinem abdere non posset , erga omnes humanus , per beneficentia ac insolitæ mansuetudinis compages , sibi populares conciliavit animos .

An humanitatis fuerit studiosus in adolescentia , nemo requirat : studuit enim industrie literis humanioribus ; non tamen tumultuariè , ad tam eximii splendoris accessit incolatum , sed potius post vitæ auroram ponens tyrocinium , paulatim surgendo adolevit , & ad perfectum usque meridiem succrescendo , imitatus Solem , omnibus amicos benignitatis dispersit radios .

Verum , cùm in Orbe nihil subsistat stabile ac perpetuum , etiam Sol *GEORGIVS* per fata passus eclipsim , solares abscondit radios in æternitatis Oceano :

*Pulchrior at quondam post tristia fata resurget ,
Plenior & vultus lumine Solis erit .*

Denuò ad arma reverti necessum est , heroum famâ classicum præcinente.

BERNARDINVS BARO ab HERBERSTEIN, MAXIMILIANI PRIMI
 Imperatoris Consultor, ac Pro-Capitaneus Styriæ , quem per antecessum , ut **PRÆCLARVM MILITEM** , commemoravimus , non degeneres post se reliquit filios , paternæ substantiæ ac virtutis bellicæ heredes **O T H O - N E M** nempe **RUPERTVM, WOLFGANGVM, SIGISMUNDVM, CHRISTOPHORVM, GVLIELMVM, FRANCISCVM**, ac **ERASMVM**, septem numero **BARONES ab HERBERSTEIN** , qui sub Imperatore Exercitu , variis adhibiti functionibus militiæ , contra Turcarum copias in Pannonia Inferiori , diverso ætatis tempore , generoso animo belligantes , proprio sibi sanguine Annales pro Panegyrico conscripsere .

Per castra sic itur ad astra.

Georgius.

GEORGIVS BARO ab HERBERSTEIN , ut antiquæ Antecessorum gloriæ inhæreret , non deviando ab impressis facinorum vestigiis , successit in Re militari .

Illi , quum antea magnus esset , ad magnitudinem nominis nil deerat , nisi hoc unicum , ut **FVSTICæsaris FERDINANDI PRIMI** efficeretur Colonellus quem pro meritis vulgo in bellica Exercitu expeditione adversus

versus portæ Othomannicæ temerarios impetus, **S T R E - N V V M M I L I T E M**, nominabant.

Nunquam fuit in umbra, at semper positus in luce, nisi dixeris honores umbras esse virtutum.

Belli Experientia, favor Exercitūs, gratia Summi Principis **F E R D I N A N D I**, ac illustris generis splendor, suggerebant illi alas, ut evolaret altius, atque gradus parabant, ut ascenderet ulterius.

Nec spes fecellit desiderium: dum enim adversus Turcicos insultus in Hungaria complurium turmarum ageret ducem ac primipilum, eò devenit, ut primarium è gesto proelio reportatae victoriæ assequeretur encomium.

Magnos ad pugnam adfert spiritus, quisquis sanguinem sæpè fudit.

Acceperat sæpenumerò è conflictibus summâ cum laude peractis **G E O R G I U S** vulnerum stigmata, eò glorirosiora, quoniam membris corporis anterioribus inficta fuerant; Fugientes enim non raro cicatrices inseguuntur.

Non inglorium, austeriori comitem sociasse lenitatem.

G E O R G I U S, ut ad amissim militarem conservaret disciplinam, belli moderatricem, austeri quidem vultum, sed lenitatis temperamento mitigatum præferebat.

Heroicus ardor gloriæ indolis inferiora non veretur.

Nec inferiora metuit generosa **G E O R G I I** indoles, nec fracta adversis, invicto semper stetit animo.

Immo stantem mori oportet, qui clavum tenet Imperii,

rii , ad coērcendam castra sequentium effrenem licentiam ,
sæpius extra limites honestatis evagantem .

Quisquis seipsum regere novit , eō liberiū sibi commissos poterit moderari .

Capistrum injecerat suis affectibus *G E O R G I V S* ,
quo aliorum protervos ausus sine difficultate constringebat . Senio dignus erat , at

*Si senium spectes virtutum , dignior astris
Hinc Orbi eripiunt , quod placet , astra decus .*

Multum caliginis inferit animo magna felicitas .

Sat felix , qui suā sorte contentus vivit .

FELICIANO BARONI ab HERBER-
ST&IN , qui suā sorte contentus , absque ambitionis
reatu non exilem expertus est felicitatem , nihil inferuit cal-
iginis .

FERDINANDO PRIMO à consiliis
belli , nec oleum perdidit , nec operam ; In rebus dubiis
Oedipum , in flexuosis Ariadnam , in intricatis agens Ale-
xandrum .

Non modicum habuit honoris à Progenitorum clarita-
te , plurimum à matri judicii singulari prudentia , virtu-
tumque incolatu , quo suam firmabat felicitatem .

Pacem cum hominibus , cum vitiis bellum gessit , sem-
pere vadiens vīctor .

Si victoriae signa quispiam desideret , complures ha-
buit captivos amoris , suāque humanitate devictos , qui
diu maluit benignus , quā brevi tempore appellari .

Non

Non mirum , tantos *FELICIANVM* sui Victorem
fecisse progressus in felicitatis stadio , cùm eam in proprio
circumferret nomine.

Summa felicitas , quibus transfertur in cœlestem !

CASPARUS BARO ab HERBER-
STEIN, illustris Parentum gloriâ , illustrior suâ , illu-
strissimos emisit radios in aula Serenitatis , Serenissimi
ARCHIDUCIS AVSTRIÆ CAROLI.

Casparus.

CASPARO regium dedit animum natura , For-
tunanomen , & Austriaca Serenitas serenitatem .

CAROLVS Archidux , cùm novisset eximia *CAS-*
PARI talenta , prudentis nempe indolis , ac in submini-
strandis statui Archiducali sanioribus consiliis sat maturum
judicium , Eum sibi intimum elegit in Consiliarium , &
quem intimè dilexit , intima sui cordis ob fidem abundè
probatam , lubens aperuit .

Non hoc satis erat *CAROLO* Archiduci ; ut secu-
rior dormiret in Camera , Supremum constituit Camera-
rium .

Et ut omne trinum in *CASPARO* perfectum foret ,
ad supremam insuper aulæ præfecturam sublimatus , non
sublimes fovit cogitationes , eò submissior , quò sublimior ,
ad imaginem Solis , in summo astrorum consistentis fasti-
gio , omnibus tamen liberales dispensantis radios .

Dum adhuc viveret , libenter loquebatur cum mor-
tuis , magnus Minister Archiducis , nempe cum libris , vitæ
monumentis : inde vivere , inde mori didicit , ad utrumq;
para-

paratus; cui tandem in senili ætate & dignitate mors suaviter abruptit filum, aut potius beatæ æternitati commisit continuandum.

Achatius,

Germanæ virtutis fidum Achatem post se reliquit
CASPARUS ACHATIVM BARONEM
ab HERBERSTEIN, in Aula **MAXIMILIANI SECUNDI** Imperatoris, quem Orbis cognominabat **PIUM**, Satellitii Præfectum.

Quis non desideraret aulam ingredi, in qua floret pietas sub Pio Cælare? de quo Joannes Crato in elogio funebri hæc Encomiastes effatus est: *Maluit esse cultor Divinæ Majestatis, quam rerum mundanarum, qui DÆVM indies summo cum zelo religionis & fervore pietatis, per gratiarum actiones, absq; omni simulationis vicio, prostratus humili venerabatur.*

Si Regis ad exemplum totus componitur Orbis, non mirum, si aula **MAXIMILIANI PII** in meram effusa pietatem impios eliminet, ac unâ voce prioris statûs invertat ordinem,

Exeat ex aula non pius esse volens.

In piorum numero censebatur **ACHATIVS**, anno restitutæ Salutis supra quindena secula septuagesimo, qui laudabiliter absolute in commissâ Cæsarei Satellitii Præfecturæ sexennio, Pientissimi sui Cæsarisi **MAXIMILIANI** obitum non sine lacrymis deplorabat cum aula universalium inductâ funerali.

PIVS

PIVS qui vixerat, piè mortuus est inter amrosos amplexus crucifixi Salvatoris, præsente Lamperto Grudero Neostadiensi Episcopo, Ratisbonæ: non dubium est, quin pius Cæsar in rate bona exercitæ dum viveret pietatis, ad portum desideratæ salutis transfretarit, cui in æternum ad „sui cynosuram symboli *Dominus providebit.*

Ex aula pietatis, in aulam benignitatis faciamus transitum, ad *RVDOLPHVM* nempe, omine ac nomine, uti testatur Orbis, *SECVNDVM*, & ex publico notiæ Famæque testimonio *BENIGNVM*: cui Budorgis Silesiorum Metropolis, anno supra millesimum & quingentesimum septuagesimo septimo, postquam ante bienium coronam Imperii imposuissent unanimes suffragiis Electores, ad prosperum ipsius in Urbem adventum, portam erexit honoris, cum aurea inscriptione:

Christophorus Mauricius.

„Roma triumphales statuit victoribus arcus,
 „Palma quibus fuso sanguine parta stetit.
 „At Tibi perpetuum sine sanguine Bresla triumphum (Tuo.
 „Spondet ab auxilio, Dive RUDOLPHE
 „Pax opus hoc flectit, pax hos collegit honores,
 „Ipse locum in sola pace triumphus habet.

In alterâ parte triumphalis arcûs hæc erant aureis expressa literis:

„Austriagavisa est PRIMO diadema RVDOLPHO
 „Cæsareum, & fortisceptra tenente manu.

H

Austria-

„*Austriadum Decimus, magnoq; SECUNDUS ab
illo
Nomine, nunc eadem sceptra RUDOLPHÉ
tenes.*

„*O dulci veniant cum nomine dulcia fata!*

„*Consilio populos qui regit, ille juvet.*

Supra portam verò S. Nicolai inscriptum erat:

„*Læta dies tandem læto se protulit ortu,*

„*Quâ Caput Imperii mœnia nostra subit.*

RUDOLPHUM comitabantur uterini Fratres Archiduces Austriæ **MATTHIAS ac MAXI- MILIANVS**, interq; reliquos Cæsaris illustres Ministros **CHRISTOPHORUS MAVRITI- US BARO ab HERBERSTEIN**, Aulæ Pro-Mareschallus, qui ob eximias indolis dotes, agendi promptitudinem, aliasque virtutes non ignobiles, **SVMMI PRINCIPIS** merebatur clementiam ac favorem: Melleâ enim suavitate morum **CHRISTOPHORVS** tanto-perè inescavit animos, ut ab ejus ore, in auro charitatis, plurimi penderent catenati.

Nulla unquam virtus abhorruit ejusdem illustre domi-cilium, quin prona ferebatur in illud, vel datura, vel acceptura nutrimenti amplioris incrementum.

Facile veterum fumosæ obsolescunt ceræ, nisi ab ipsa virtute mutuatæ fuerint splendorem.

Apud **CHRISTOPHORVM** nunquam: qui à ma-tutina

tutina luce ætatis, in se radios solidæ virtutis in tantum sen-
serat derivatos, ut in ultimam perdurarent; nec ab ipso re-
cessissent, nisi per beatam periodum attracti fuissent ad So-
lem Divinæ Majestatis.

Publicum ærarium puram ac integrum requirit con-
scientiam: corruptitur enim sæpenumerò aut conscienc-
tiæ, aut ærarium.

Georgius
Andreas.

G E O R G I U S A N D R E A S B A R O a b H E R B E R S T E I N subbenigno ac glorioso regimine **R V D O L P H I S E C V N D I** Supremum agebat
Præfectum ærarii bellici in Styria: & ne belli nervus,
commune peculium, aut conscientiæ pateretur serenitas,
& unicuique suum ad cynosuram Juris & æquitatis trade-
retur, omni ad hunc scopum collimavit operæ ac conatu:
& ut eò securior servaretur conscientia, avaritiæ præclusit
aditum: apprimè enim noverat, quod integra conscientia
viventem afficiat gaudio, consoletur morientem, ac æter-
num duret, attestante Guevarrà, benefactorum congeriem
magnum in vita esse munimentum, in agone solatium.

Spargebat tamen pecunias in pauperes, sed propriâ
congestas industriâ, non mittens falcem in messem alien-
nam.

Nunquam liberior, quam cum alios devinciret bene-
ficiis; nec unquam opulentior, quam cum omnia propè
erogando in Emeritos, nil, aut exiguum possideret.

Non tamen defecit thesaurus in animo absconditus,
quem integritas conscientiæ conservabat illibatum. Ra-
rum sanè exemplum!

Avaritiam non admisit, ne præcluderentur postes be-
neficen-

nesicentiae, memor illius adagii, Avarum esse auri, auru-
sum verò avari carcerem.

Georgius
Sigismun-
dus.

Eadem ætas **GEORGIVM SIGISMVN-**
DVM BARONEM ab HERBERSTEIN
ob res in bello & patria præclarè gestas venerata est.

In bello sub **CAROLO QVINTO ac FERDI-**
NANDO PRIMO Cæsare, cui erat à consiliis; per di-
versas expeditiones bellicas adversum Turcarum insultus,
virentes reportavit palmas.

In Styria postfata priorum Monarcharum sub **MAT-**
XIMILIANO SECUNDO ac RUDOLPHO, SE-
CVNDO Imperatoribus, supremam Ducatus admini-
strans præfecturam, prudenter regendo, nulli inferendo
injuriam, publicam denique, privatamque pupillorum
protogendo incolumentem, optimi Præsidis ac Guberna-
toris implevit officium.

*Prædicat heroes Orbis Regina Quirites
Incluta quos fovit gloria, Roma suos.
Æmula sustentat famosas Styria cedros,
Et numerat claros non sine prole viros.*

Carolus.


Concinnè dictum, vitam hominis esse Comœdiam, ac
mortem Epilogum.

Diversæ in theatro Mundi avidis Spectatoribus exhi-
bentur personæ.

Quicunque suam bellè novit producere, secundum
oblatae stationis ac conditionis qualitates, suo satisfecit
officio.

CARO-

LANCKHOWITZ



INVOCATIONE

CAROLVS BARO ab HERBERSTEIN
in Orbis theatraли Nomarchia egit Triumvirum, Imperato-
rum *FERDINANDI PRIMI* Dapiferum, *MADI-*
MILIANI SECUNDI ad Principes Electores Lega-
tum, nec non *RVDOLPHI SECUNDI* apud Senatum
Inferioris Austriae Consiliarium.

Ad magnos honores , magna requiruntur talenta.

Plus efficitur virtute , quam virium potentia .

Quisquis opus prudenter aggreditur, feliciter absolver.

CAROLUM, utpote Legatum, eximiis ornatum
fuisse talentis, nemo movebit dubium: quippe Summi
Orbis Monarchæ, Cæsares ac Reges, qui arduam Legatio-
nem instituunt, in feligendo subiecto Legationis functioni
idoneo, mature deliberant, in eo requirentes moderamen
affectuum, lingvæ politæ facundiam, experientiam rerum,
fidelitatis constantiam, vires infractæ ætatis, agendi dex-
teritatem, & alia, quæ Legatorum muneri apprimè con-
veniunt.

CAROLVS plus effecit virtute , quam virium robo-
re , sano qui semper consilio ac maturâ prudentiâ Legatio-
nistra & tavit munia , ut felicem sortirentur analysin .

Postquam verò in diversarum functionum decursorio, cum decimo sextum Christi seculum absque decennio attigisset, Comœdiæ mors egit Epilogum.

*CAROLUS implevit Legati munia, munus
Mors quoq; Legati strenua lege suum.*

Sapiens non metu frangitur, non extollitur prosperis, Joanace.
H 3 nec

nec tristibus immergitur Fatis, ut fortitudinis patiatur naufragium.

JOANNES BARO ab HERBERSTEIN Cæsaris **RVDOLPHI SECUNDI** Colonellus, rebus in bello præclarè gestis innotuit Orbi, præsertim ob egregia magnæ indolis talenta, quæ Regina cerebri sapientia suis ornabat meritis. Animus **JOANNIS** ad ardua destinatus, sic tenorem vitæ inter bellum strepitus, ac tranquillæ Pacis stationem prudens instituit, ac si omnium oculos haberet Censores.

Tristibus quidem sæpenumerò immergebatur fatis, sed fidelitate solidata fortitudo non unquam verebatur naufragium. Sapientiam sibi quasi ingenitam, nullo concussam metu, abundè ostendebat Coætaneis, ut nil ageret, nisi sapienter.

In secundis Fortunæ progressibus non erat fastuosi, nec in sinistris, animi servilis ac dejecti, sed in omnibus sibi præsens. Thura superis, ac virtutem possidentibus laudes debentur.

Anno salutis supra millesimum ac quingentesimum nonagesimo tertio, plenus meritis decepsit è mortalium numero.

*Mortuus est: vivit generosus spiritus astris,
Inq. suâ celebris posteritate Domus.*

Julius & Jo-
annes.

Generosum est, quod à natura illustris generis non degenerat.

Nec ab antiqui splendore generis, neque ab artis belli-
cæ natura degenerarunt **FULIVS & JOANNES**
BARONES ab HERBERSTEIN.

Primus

Primus Cæsaris **M A X I M I L I A N I S E C U N D I**
Dapifer, & ambo deinceps **R V D O L P H I S E C U N D I**
in Superiori Hungaria, militarium turmarum Præsides &
Colonelli.

Inter rerum discrimina primū se ostendit animi fortis
ac inconcussi generositas.

Heroica indoles non veretur tonitrua.

Blandientis Fortunæ Zephyro non semper fidendum
est.

Anno supra quindena secula nonagesimo penes octa-
vum, sub victricibus signis **R V D O L P H I S E C U N D I**,
Generalis campi Dux Adolphus Baro de Schwartzen-
burg, post cruentum prælium, in quo primarius Tur-
cici exercitus Ductor cum mille & septingentis deleris
est, quadringentis Turcarum in compedes redactis, cen-
tumque cum quinquaginta quinque machinis belli, per co-
pias Cæsarianas occupatis, recuperavit Javorinum in Infe-
riori Hungaria.

Inter Exercitum Cæsaris **F U L I V S ac F O A N-**
N E S Chiliarchæ, per flagrantis prælii discrimina suas
phalanges animosè prævolantes, virilis animi monstrarunt
generositatem, ab Antecessorum suæ illustris Familiæ non
degenerem.

Heroica indoles non metuit belli tonitrua, ac quævis
armorum genera.

Nec verebantur **F U L I V S ac F O A N N E S**,
qui suo maluissent generoso sanguine arenam colorari,
quam absque palma victoriæ reverti ex acie.

E Cæsarianis, qui primipilos imperterritu turmatim
impetu

imperu sequebantur, ultra numeri milleni dimidium, sanguinem profudit pro DEO, Cæsare, ac Imperio.

Obtentâ victoriâ, ridentis Fortunæ fronti non fidebant heroes, nec fastuosè gloriabantur palmarum participes, sed unâ cum Generali Duce Exercitûs totius opus victoriæ, solius DEI potentia ac arbitrio adscribentes, ad ulteriores progressus, & quidem anno eodem fortunatos, se capaces reddiderunt: post diversos enim vehementes conflictus, aliquot munitiones ac roborata propugnaculis Castella recuperarunt, quæ sub potestate Turcarum diu remanserant.

Non similes æquat merces fugitiva labores,

Sed magis augustum convenit esse decus.

Gloria mortales non illis solvet honores,

Hoc opus æternum gaudet habere jubar.

Eadem ætas non inglorios vidit Duos nomine & re
JOANNES JACOBOS BARONES ab
HERBERSTEIN, alterum Styriæ, alterum vero
 Inferioris Austriae Colonellum.
 Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripsit, immensum gloriæ.

Inter angustos vitæ limites multum operari, virtutis est.

Laborem non fugit, qui fructum virtutis desiderat.

Ternariæ hujus Politiæ terminos emensi, immo supergressi sunt suis generosè gestis præfati copiarum Duces, qui et si non nimium adultæ ætatis, magnanimæ tamen virtutis senium, non unquam fugiendo laborem, ad sublimiora jure

Joannes Ja-
cobus &
Alter.

65

jure licito, non perperam aspirando; multum operati attigerunt, palmariæ intentionis assecuti metam, & tandem curis militiæ defessi, beatum vitæ terminum.

Famosissimam laudem adeptus est **GEORGIVS** Georgius.
BARO ab HERBERSTEIN in Austriacis Provinciis, belli Antesignanus, & Generalis Campi Dux, qui paganorum fœdus, & adversus Ordines pactæ conspirationis motus, penes cœteros armorum asseclas disrupti feliciter, & statuum vindicavit libertatem.

In subitis arduisque periculis rapienda sunt armorum consilia, non quærenda.

Nimium cunctari, non raro parit nocumentum.

Politicus erat **GEORGIVS**. & unà Bellator eximus, alienus tamen à consilio, Cunctatoris Fabii, utpote qui tempestivè gliscenti malo obviandum esse fatus, evicit, mansuetissimi alioquin ingenii, quem sic affari liceat:

*Es leo, dum vigilis naturam pondero mentis,
Nec tamen es, mores pondero quando tuos.*

Fœcundissimum est hoc seculum glorioso Stemmati **ab HERBERSTEIN**, ut abundantia tot, tantorumque virorum illustrium, quorum celebria gesta meruire posteritatis memoriā, supereret conatum, ita ut singuli pro merita dignitate ac honoris gradu si conscriberentur fusius, non unum sufficeret Chronicorum volumen: Neta-
men oblivioni nepotum atque posterorum maneant involuti, eosdem historicæ Iliadi compendiosissimâ brevitate inseremus.

Dulce est pro Patria mori ; Non solum pro Patriâ , sed etiam pro DEO , & Summo Principe .

Joannes.

JOANNES BARO ab HERBERSTEIN à tenera ætate rerum equestrium exercitio institutus , sub Imperatore *RUDOLPHO SECUNDO* , ac præmemorato Adolpho Barone de Schwartzenburg in Hungarica Expeditione adversus copias Othomannicas , nullum belli periculum aversatus , animosè pugnans cecidit in acie .

Non eecidit ; immo per januam gloriofæ mortis ascensum fecit ad æternæ vitæ emporium .

Leopoldus.

In eodem strenue belligerantium consortio , non ultimo stetit ordine *LEOPOLDVS BARO ab HERBERSTEIN* , qui Centurionis officio functus in hoc prælantium cuneo præcessit alios præstanti fortitudinis ausu , cui in optima ætate constituto favebant Superi , ut ulterioris virtutis fructus decerperet per industriam ac fidelitatem .

Georgius
Christophorus.

Nec sangvine calentem horruit arenam *GEORGIVS CHRISTOPHORVS BARO ab HERBERSTEIN* , contra hostium insultus athleticè dimicans ; cui animi magnitudo dedit constantiam , quâ perdurans ad sangvineam proelii catastrophen , sine profusione cruentoris , quem ultrò adversantium telis prodigaliter venalem exposuit , recessit animosior , reservatus ad majora .

Georgius
Bernardus.

GEORGIVS BERNARDVS BARO ab HERBERSTEIN , olim *CAROLI* Archiducis Austriæ

Austriæ Dapifer, sub **JOANNE SIGISMVNDO BARONE ab HERBERSTEIN** cataphractum agebat militem, qui pugnæ, adversus Turcarum Ducem, Bosniensem internecioni datum, recuperato Petrinæ fortalitio, interfuit.

Diversas expeditiones Hungaricas belligerâ manu comitati sunt **JOANNES FRIDERICUS BARO ab HERBERSTEIN**, primum Vexillifer, Joannes Fridericus.
dein Centurio;

LEONARDVS BARO ab HERBERSTEIN exantlatis in Hungaria belli laboribus, in Styria equestris legionis Praefecturam sortitus est;

JOANNES FRIDERICUS BARO ab HERBERSTEIN in simili officio constitutus sub Cæsariano exercitu, postmodùm Copreinizii Capitaneus; Joannes Fridericus.
omnes Bellonæ filii, in velitationibus ac pœliis non imbellem navarunt operam.

Non omnibus ac singulis æqualis ambulat Fortuna :
sed illud suffurari non potest, quod nunquam tribuit.

FELIX BARO ab HERBERSTEIN Felix.
nomini suo contrariam expertus sortem, heroicè se defendens, à Rebellenbus Transylvanis interemptus est, ut in altera, quam magis salutarem sperabat vitam, foret felicior, cuius mortali non Fata favebant felicitati.

Premitur quidem palmaria virtus, sed non opprimitur unquam, quæ beatæ æternitati destinata est.

Progrediamur ulterius inter arma , quæ generant encomia Famæ, ac mortales efficiunt immortales.

Jacobus
Franciscus.

Sub **GEORGIO BARONE ab HERBERSTEIN**
Generali Duce Austriaci exercitūs , qui tumultuarios pagorum motus, adversūm Austriacos Ordines ac Status , iniquo ausu confederatos , editā disrupt strage , Colonelium egit **JACOBVS FRANCISCUS BARO ab HERBERSTEIN**, ad Honorii Principis Franconiae symbolum , clarus genio Martis, artisque ingenio , semper fortior ex adversante Fortuna : Et dum bellè novisset , mactere sine adversario virtutem , hanc , raro interruptis belli negotiis, exercuit industrie , ne langveret unquam , aut vigoris pateretur deliquum.

Hierony-
mus.

Exemplum hoc , singulari dignus præconio , ad amissim imitatus est **HIERONYMUS BARO ab HERBERSTEIN** Equitum Præfectus , inter Martis turbines & procellas instar rupis Marpesiæ nunquam à statione prælia recedens , nisi hostium copiis ex arena profligatis.

Etiam ultra limites Imperii , & extra gloriosissimæ Domus Archiducum Austriæ hereditarias Provincias ac ditiones processit virtus Martialis **BARONVM ab HERBERSTEIN**.

Et quemadmodum amnis ob originis effluxu tenuis , manando crescit , & tam in latitudinem dilatatur , quam in cursu propagatur longitudine ; non aliter ardor belli in magna illustrique indole , quæ aversatur desidiam , perque discrimina rerum anhelat coronari gloriâ.

Bor

c. I

MA-

MAXIMILIANVS BARO ab HERBERSTEIN, Venetorum Reipublicæ Colonellus, non dissimili ardore bellii incensus, ab ipsa juventute armis exerceri, & à primo militiæ gradu voluit progressum facere ad honoris fastigium, ne, si per saltum (uti huic ævo non inusitatum est) ascenderet, fortuito casu desiliendo, merita virtutis sentiret dispendium.

Maximilia-nus.

Ascendit itaque gradatim, adversum conatus Ottomannicos in pelago egregius pugnator.

Non ex Fortuna, sed è propria virtute æstimandi sunt bellatores.

Animus leoninus, si præsit legionibus, è mediastinis velites, ex imbellibus efficiet animosos.

Naturâ suà bellicosus **MAXIMILIANI** animus, commilitones ad parem provocavit stationem, ut pro Republica starent, aut gloriösè occumberent.

Non disparis erat indolis **JOANNES GVLIELMVS BARO ab HERBERSTEIN**, in Provinciis Belgicis Chiliarcha, qui suis præclarè gestis ostendit, quâ natus esset origine.

Joannes Gu-lielmus.

Uti medicina conservandæ valetudinis, ac navigationis gubernatio; sic ars vivendi prudentia, quâ moderatrice **JOANNES GVLIELMVS** in statu bellico progressum fecit feliciter.

Succus in eo non potest esse diuturnus, quod nimis celeriter attigit maturitatem.

A teneris assueverat bellicosa Herois indolis, quæ suc-

cessu temporis matureretur : Et sicut è surculo arbor , dein procera maturos succoque plenos progignit fructus , ita mens humana duris laborum curis exercita , in virili ætate .

Germanorum Imperio contra Turcarum insolentiam vix non continuum ardere bellum , constat è Fastis Austricæ ac Hungariæ .

Et licet subinde ad decennium , vel ultra , sanctum pacis foedus militares interruperit actus , assiduae tamen eminè velitationes intra superioris Hungariæ viscera , publicam crebrò disturbant tranquillitatem .

Ferdinan-
dus.
Julius.
Wolgan-
gus Sigis-
mundus.

Inter has expeditiones bellicas disrupto foedere , **FERDINANDVS BARO ab HERBERSTEIN** , Equitum legionis Praefectus ; **FVLIVS** verò ac **WOLFGANGUS SIGISMUNDUS BARONES ab HERBERSTEIN** , sub diverso agmine ejusdem Cæsariani exercitū , militaria signa ferentes , in obsidione Castellarum & Urbium , variisque conflictibus ac pœliis infractos ostenderunt animos .

Præclara sunt Martis ingenia , quæ incitantur ad ardua gloriæ præmio .

Fortuna saepius fortitudini adjumento esse solet .

Illustres ii demum æstimantur , in quibus Majorum residet virtus , generosi sanguinis nutrimentum .

Nunc insculpta vigent æterno nominalibro ,
E meritis partum grande volumen habent .
Virtutis calamo scriperunt gesta , nec humor
Invidiæ , nec mors hæc violare potest .

Veli-

Velitum centuriæ Antesignanus sub Pannonico exercitu *WOLFGANGVS WEIGHARDVS BARO ab HERBERSTEIN*, adversùs Turcarum violentiam tam secundo pugnavit eventu, ut ab Hungarorum Rege publicos mereretur honores per Imperatorium ensem: quibus ij demum adornantur, qui speciale magnanimitatis edideres specimen.

Wolfgan-
gus Weig-
hardus.

Inter claros & famosos virtute Viros numerantur jure *CAROLVS animi promptitudine excellens, EUSEBIUS* judicij maturitate conspicuus, *FERDINANDVS* ob gravitatem morum venerandus, *MAXIMILIANS* indolis eminens fortitudine, *CYRIACVS* rerum Oeconomicarum experientia, & agendi dexteritate celebris, ac *CHRISTOPHORVS* ob peculiarem quā pollebat prudentiam insignis, conjunctim *BARONES ab HERBERSTEIN*.

Carolus.
Eusebius.
Ferdinan-
dus.
Maximilia-
nus.
Cyriacus.
Christopho-
rus.

Arduum nihil est virtuoso genio ad majora aspiranti.
Pascitur in vivis litor, post Fata quiescit,
Tunc suus ex merito quemq; tuetur honor.

Quoniam vita brevis est, longam nostri memoriam ef-
ficerem studeamus.

Leopoldus.

Hoc ipsum studuit *LEOPOLDVS BARO ab HERBERSTEIN*, virtutis stadiodromus & palæstrita Palladis, cuius liberalem manum experti sunt orphani, serenæ mentis constantiam infestæ sortis occursus, eventuum prouidentiam prosperi successus, fidem non ullo interruptam discrimine Principes, sincerumque amicitiæ vinculum. Coætanei.

Tanto

Tantò quisque perfectior censendus est , quanto perfe-
ctius sentit dolores alienos.

LEOPOLDVS erat secundum sui nominis involu-
crum **E DUPLO SOL** , qui suæ benignitatis radios , non
duntaxat in familiares derivare , sed etiam in oppressos ,
omniq; subsidio destitutos erogare non destitit , alienis
compatiens casibus ac infortuniis.

Ita propinquo condolendum est , ut etiam larga ma-
nus mutui doloris affectum monstret.

Extra Fortunam subsistit , quidquid e gentibus è libe-
rali penu elargimur.

Joannes. Gubernatores navium se accommodant ventis , viri q;
Christopho sapientes alienis pro re nata ingenii.
rus.

JOANNES, & CHRISTOPHORVS uterini
fratres , **BARONES ab HERBERSTEIN** , ut ingenii
confine Aulicorum affectui ostenderent ; in diversis ma-
gnorum Principum aulis diu commorati , se humanos sin-
gulis exhibebant , ad Ovveni Cambro-Britannici Martialis
monitum:

*Quisquis in ambigua se non accommodat aula
Omnibus ingenii, non habet ingenium.*

Qui post complurium Regnum ac Provinciarum
perlustrationem , amore Patriæ reversi , in Styria resederunt ;
& cum connubium genus humanum reddat immortale ,
amorq; legitimè socialis naturam pessum euntem gene-
rando resuscitet , vitam elegerunt conjugalem.

Præcipua domus utilitas ac pernicies , ignis & mulier.

Uxor

Uxor enim aut perpetuum est refugium Virique solatium, aut perenne tormentum.

In hac prudenter seligenda, speciale opus est providentiâ.

Omnis in hoc passu nocet temeritas, quæ post causam vulneratam, non admittit remedium nisi mortis, vel tristis divorii.

In probæ conjugis electione, plus quam juridicam necessum est adhibere cautelam.

Et quoniam ad secundam electionem non unius, sed complurium requiruntur calculi, *JOANNES & CHRISTOPHORVS*, ne post initum conjugium serotinæ pœnitudinis calculo laborarent, rei arduitatem familiarium consilio aggressi sunt, & sic secundum votorum pluralitatem benè successit, *DEO conjugalem amorem fœcundante.*

*Si bona contigerit conjux, Paradisus amœnus,
Si mala, tormentum vel Labyrinthus erit.*

Ingenia quanto illustriora sunt, tanto breviora: ubi enim incremento locus non est, vicinus occasus est.

Ex indole decorata talentis promanat censu honoris.

LEONARDUS & GEORGIVS BARONES ab HERBERSTEIN, ut ex ephebis excessere, imbuti literis humanioribus, sat maturi intellectus dotati munimentis, equestribus instituti exercitiis, illustriqué excellentes ingenio, magnam fecere spem securæ felicitatis.

Leonardus.
Georgius.

Et ne quidquam eximius animorum talentis derogari vide-

videretur, diversas invisebant Provincias ac Regiones, ad assequendum lingvarum cognitionem, rerumque experientiam.

Romæ tandem post graves itinerum molestias, per mortem elingves redditum, exhausti corporis posuere ex vias, non sine condolentium singultu, tam illustrium ingeniiorum fœcunditatem immaturo obitu oppressam deplorente.

Abundè formosa censeri potest juventus, non vulgari digna encomio, quæ in cerebro habet eruditionem, in corde affectuum temperamentum, in lingua silentium ac in vultu pudorem.

Maximilianus.
Georgius
Otho.

Rarissima sunt, nigroque simillima cygno hæc juvenum ornamenta, quæ tamen apud **MAXIMILIUM & GEORGIUM OTHONEM BARONES ab HERBERSTEIN** in florentis ætatis stadio renidebant.

A primo virore adolescentiæ ad florem usque annorum juvenilium, à sapiente & industrio literarum morumque magistro, in utroque exercitati, tantoperè evaserunt, ut speculum insigniter eruditæ ac optimè moratæ. Juventutis nuncupari possent; ab eruditione præclari, ab animi & affectuum moderamine non ignobiles, à temperamento silentii & affabilitate præstantes, è quorum generosa indole honoris profluebant census: Pudoris & verecundiæ lilia cœteris dotibus præferentes, non juvenilem excesserant ætatem, cum eandem in via institutæ regnorum ac populorum visitationis, mors nimiùm immatura interrumperet.

Quò illustriora fuerunt ingenia, eò breviora, & cùm incre-

incremento virtutis deesset locus , vicinus erat occasus seu portus ad quietem.

Sic viatoribus obviavit , viamque mors præclusit , ut aperiret ad æternitatem.

*Felices animæ ! casti quibus alba pudoris
Lilia straverunt fortis ad astra viam.
An non strata rosis via dicit ad æthera ? spinas
Altera pro cœtu Cypridis , Orcus habet.*

Cùm adversitas fortes generet viros , atque Insignia Stemmatiſ muniat fidelitas , profectò id ipsum in ſua ex- pressum indole palam monſtrarunt **G E O R G I U S A-**
C H A T I U S , O T H O E R N E S T V S , S I G I S-
M U N D V S F R I D E R I C V S , & G E O R-
G I U S S I G F R I D V S B A R O N E S ab H E R-
B E R S T E I N .

Georgius
Achatius.
Otto Erne-
stus.
Sigismundus Frideri-
cus.
Georgius
Sigfridus.

Nemo sub Sole tam beatus eſt , qui non interdum ad- versos patiatur insultus Fortunæ novercantis.

Premitur quidem onere palma , ſed non opprimitur , immò lætior palmares extendit ramos post pressuram.

Sic illuſtrium , quos recensui , Virorum magnanima in- doles , non ullis unquam infestæ fortis debilitata cuniculis , magis indies effloruit , ac racemos extendit honoris , glorioſique Stemmatiſ , cuius Insignia ſolidabat erga DEUM , Cæſarem ac Patriam conservata fidelitas.

Quemadmodum vaporosam ſpiffamque obſcuræ no- etis caliginem dispellit exortus Solis , ſudumque cœlum atras diſſolvit nubes ; ita ejusmodi candida fides , Sol inte- meratæ

meratae conscientiae, omnium priorum temporum incommoda, infestas rerum vicissitudines, mentisque nubila dissipat, ac securam generat tranquillitatem.

Hildebran-
dus.
Joannes
Gaudentius.
Güntherus,
Constanti-
nus.
Raimundus
Fridericus.
Alexander,
Georgius.
Ferdinan-
dus.

In se hoc experti sunt *BARONES ab HERBERSTEIN HILDEBRANDVS, JOANNES GAVDENTIVS, GÜNTHERVS, CONSTANTINVS, RAIMUNDVS, FRIDERICVS, ALEXANDER, GEORGIVS & FERDINANDVS*, qui eliminato acediæ comitatu, in juventutis flore equestria exercebant munia & competentia statui officia, ut in ætate virili ad magis ardua forent aptiores.

Omnium rerum principia parva sunt, sed suis usq; pro-
gressibus adaugentur.

Sic à teneris assuevit natura virorum illustrium, usque dum maturioris virtutis acquirerent nutrimentum in de-
fensione Ducatus Styriæ, quæ generositatem indolis inter
armorum conflictus exercentes, DEO, Summo Principi,
ac Patriæ, sanguinem vitamque immolaturi, in unione ste-
terunt immobiles: rupem dixisses Marpesiam, nullis pe-
lagi fluctibus è statione dimovendam.

Affulxit tandem post nubila Sol publicæ tranquillita-
tis, & Patriæ defensores gratiosis illustravit radiis Cæsarei
favoris ac beneficentia.

*Si gracilis semper spiret Fortuna susurro,
Nec variet rauco turbine læva vices,
Illustris genii marcebit langvida virtus,
Materiesq; novi nulla laboris erit.*

Sicut umbra comitatur corpus, sic virtutem invidia.
Infelices

Infelices sunt, quos suis deserit aculeis, felices autem, quorum sequitur vestigia: quicunque enim inter vitiorum & despectuum latebras harentes, insimæ sortis squalidum induit supercilium, eliminant consortium virtutis, eosdem livoris acumen non lacefset: qui verò extra vulgum, industriæ ac ingenii talentis, vel generosâ emergentes fortitudine, arduam virtutis intendunt sulcare semitam, ac supra se erigunt vires, confessim invidiam, virtuosos conatus arrodentem, animadventent ascensus comitem,

*JOANNES SIGISMUNDVS, CAROLVS LVDOVICVS, CRESCENTIVS,
CHRISTIANVS ERNESTVS, & GEORGIVS GODEFRIDVS* unius seculi *BARONES ab HERBERSTEIN* Coætanei, qui extra statum plebejum ac vulgarem per viam arduam ad sublimiora erexerant animos, destitere nunquam, et si sentirent livoris aculeos, honorifici tamen nominis, atque a surgentis famæ splendori minimè nocivos.

Joannes Si-
gismundus,
Carolus Lu-
dovicus.
Crescentius,
Christianus
Ernestus.
Georgius
Godefridus.

JOANNES SIGISMUNDVS adhuc ephibus stu diis sanioribus impendit indolem, *CAROLVS LVDOVICVS* iudis equestribus, *CRESCENTIVS* crescente viribus robore, exercitiis Castrensis, *CHRISTIANVS ERNESTVS* functionibus aulicis, ac *GEORGIVS GODEFRIDVS* in officiis saluti publicæ. Diversis occupati negotiis, inertiam mollis vitae repudiantes, partim in statu connubiali, partim in cœlibatu, per curas ac labores magni honoris assediti sunt fastigium.

Boleslaus Princeps Poloniæ in aureo torque sui Patri^s

K 3

ima-

imaginem , ne unquam quid indecens , aut suo indignum
Genitore moliretur , palam circumtulit .

Præfatæ illustres animæ suorum Majorum effigies fe-
rebant in corde aureo , adversitatum flammis affatim com-
probato , ad incitamentum virtutis , ut prius , quidquid ef-
fent acturi , librarent in bilance judicii consilio ac indu-
stria .

Diu deliberandum , quod statuendum est semel .

*Non gravat in curis pondus sufferre volentem ,
Nam leue reddit amor , quod grave pondus erat .*

E celeberrimo totque seculis per regiones ac provin-
cias dilatato Stemmate , ex tam excellentium Heroum , il-
lustriumque Virorum sangvine ortum habuere **WOLF-**
GANGVS CHRISTOPHORUS Centurio
Styriæ , Assessor judicij Carschtensis , **GEORGIVS**
SIGISMUNDVS , **DAVID RVDOL-**
PHUS & **JOANNES CASPARVS** , **RV-**
DOLPHI SECUNDI Imperatoris Pocillator ,
BARONES ab HERBERSTEIN : & ne à
tanta radice famosissimæ Arboris degenerarent uspiam ,
virtutis primū ingressi palæstram , sub magistra prudentia
posuere fundamentum , alumni Palladis lingvarum adepti
cognitionem , sub eadem cum hasta & clypeo equestres tra-
ctavere ludos , partimque sub armorum auspicio bellicas
functiones .

Quemadmodum , si perenniflui fontis vitalis vena ab
origine pura est , rivuli ex hac promanantes , puritate cen-
sentur non dissimiles ; sic & posteri seriique nepotes ad Ma-
jorum

Wolgan-
gus Christo-
phorus.
Georgius
Sigismun-
dus.
David Ru-
dolphus.
Joannes Ca-
sparus.

jorum exercitam virtutem & gloriam plerumque collimare student.

Diversa sorte probatur ad Lydium fidelitas velut aurum flammis, & adamas ab ingenita durius.

Purum erat aurum cor illustrium Baronum, fidesque duris probata casibus, adamas insertus aureo constantiae circulo, quo sibi annulo desponsarunt nominis perennitatem.

Ab antiquissima hac propagine tot insignes Bellatores, tot Consultores, in aulis Cæsarum, Regum, & Archiducum prudentissimos, ac eorundem plerosque in alterutra Pacis aut Belli statione, plurimos verò in utroque gradu (quorum heroica facinora in posterorum vivent memoria) enituisse, antecedens continuandi operis series opulerter declaravit: & tamen, nec medium attigisse classem monstratum facient sequentes inclutæ Stirpis nepotes, quos inter *OTHO HENRICVS*, Archiducis Austriae *FERDINANDI* Pocillator, Camerarius, Praefectus operis Venatorii, ac in Styria Adseffor, & illic *GEORGIVS SIGISMUNDVS* in exercitu Colonnellus, *GOTHARDVS*, præfati Archiducis Camerarius, *HANNIBAL, & FELICIANVS*, *BARONES ab HERBERSTEIN*, singuli singulari prærogativâ eminentes, merito numerantur.

Ortho Henricus.
Georgius Sigismundus.
Gothardus.
Hannibal.
Felicianus.

OTHO HENRICUS venatorum Praefectus antequam venaretur feras, per concinna eximiæ indolis præsidia, velut retia, Archiducis primum *FERDINANDI*, deinceps ac cœterorum irretivit Aulicorum propensionem:

nem: industria enim ac fidelia quæ præstitit servitia, cas-
ses erant, quibus involverentur affectus.

Quinque tantum canes adhibuit venaticos, quos ipsi
natura concesserat, & ne quid proprium præter virtutem
possideret, etiam suo se privavit arbitrio, quod mancipa-
vit **FERDINANDO**, ad omnem nutum paratissimus.

E sylvis accedens ad munus in Patria exercendum, nil
attulit in moribus sylvestre.

Postquam nemora non sine lassitudine percurrisset,
quietem sibi in patria pollicebatur quidem, sed errabat:
denuò quippe venationem instituere necessum erat, quò
brutos complurium affectus faceret captivos, in superio-
rem humanitatis classem traducendos.

Animum non cura fecellit, sat benè successit venatio.

Labores non sunt, quos non frustraneos impendimus,
tam privatæ, quam saluti publicæ ad frugem meliorem.

Nec **GEORGIVS SIGISMUNDVS** Provincia-
lis Styriæ Colonellus suis defuit viribus, qui se optimè va-
lere professus est, ubi benè valeret patria.

Et sicut liberis sub cura & protectione Parentum con-
stitutis nil deesse censem, dum parentes, quoad facultates
viresque corporis benè subsistunt; sic etiam, si in tranqui-
llio pacis statu ubertim floret patria, bona&q; valetudinis frui-
tur incremento, etiam cives ac gaudentes incolatu, æquali
fructu minimè privantur.

GOTHARDVS BARO ab HERBERSTEIN
Claviger erat apud **FERDINANDVM** Archiducem
Austriæ, qui claves suæ submissionis, non solum præcordia
Auli-

Aulicorum, sed etiam cor sui Principis referare noverat,
Cameram nempe Archiducalis gratiæ Camerarius.

HANNIBALEM BARONEM ab HERBERSTEIN, cuius generosa indoles in stadio juventutis egregia magnanimitatis edebat specimina, nisi mors immatura eripuisset bello, Carthaginensis potuisset imitari vestigia.

FELICIANUS BARO ab HERBERSTEIN, inter sylvanos Transylvanos vitâ defunctus, felicitatem, quam terra denegavit, reperit in cœlo duraturam.

Patria dulce solum. Nullus est casus pro dignitate ac libertate patriæ non ferendus.

Vitus Sigismundus.

Omnia, quæ à nobis geruntur, non ad nostram duntaxat utilitatem, sed etiam ad Patriæ salutem conferre necesse est.

VITVS SIGISMVNDS BARO ab HERBERSTEIN è Styria oriundus, *RVDOLPHI SECVNDI* Cæsarii Consiliarius apud Regimen inferioris Austriæ, & Styriæ Præsidens, omnem intendit nervum pro salute ex integro conservandâ.

Uti Sol quotidie æquali vultu tam egenis quam opulentis lucere solet, non aliter *VITVS SIGISMVNDS*, cùm ad Stemmatis originem, tum merito virtutis avitus, atque à recipiendis, more aliquoquin solito, munilibus planè mundus, cui libet extra respectum personæ, conditionis ac statûs, justâ bilance administrabat æquitatem.

Styriæ Præsidens, in columitatem publicam in votis habuit, & acceptos à Sole Imperii radios benignitatis, largiter derivavit in suæ fidei ac protectioni commissos.

L

Sic

Sic præesse voluit, ne obesset; leniendo aspera, acerba mitigando, erigendo collapsa, nutantia suffulciendo, & ad casum declinantia solidando, implevit munia Præsidentis, non jacentis, dum nulla re propius ad DEUM accedimus, quām Communitati impertiendo salutem.

Hæc summa virtus, petitur hac cœlum viâ.

Joannes Ja.
cobus.
Güntherus.

Non dispar erant indolis **JOANNES JACOBUS, & GÜNTHERUS BARONES ab HERBERSTEIN**, ambo constituti Assessores in Patria Provinciales, quam uti matrem filialiter venerati, negotia publica curasque forenses æstimabant pro deliciis, id unicè desiderantes, quò animi robur, ac spiritum in statione laborum immolarent aris & focis patriæ,

Præferre patriam liberis Regem decet.

*Eminus ut fumum patriæ spectaret, Ulysses
Voverat. O nimium patria dulcis erat!
Et vitam & vires patriæ debemus amori,
Sic est in patrio fædere dulce mori.*

Nondum cum decimo quintum Christi seculum in enumeranda serie **BARONVM ab HERBERSTEIN** duximus ad coronidem. Plurimi adhuc in palmifero Heroum, ac illustrium Patriæ Patrum restant ordine, qui sequentur.

Magni honorismunus est à Principe, speciali virtutis præmio, majus verò gloriæ auctoramentum à Summo Orbis Monarcha, aureo torque effigieque Imperatoriâ decorari, ad mentem Nasonis,

Mul-

74.

*Multiplicat doni gravitas auctoris honorem,
Et Majestatem res data dantis habet.*

Etenim præmia Cæsarum sunt aureæ compedes, quibus obstringitur fidelitas in omnem adversantis Fortunæ eventum, ut, ad symbolum Ludovici, Ducis Hetruriæ, non infesta mutent indolem, & animus, pro mente Roberti Sabaudiæ Principis, pars sollequio, vultui Solis se conformanti ad nutum paratus, etiam extrema non vereatur fata pro solio Imperii.

CAROLVS LEOPOLDVS è nominis involucro, *O DVPL SOLE CLARVS* artis ac Martis! Carolus
Leopoldus.
BARO ab HERBERSTEIN, in aula Cæsaris *RUDOLPHI SECUNDI* fidelis minister, per benigni Cæsaris dextram aureas accepit compedes; non tamen generosa libertas in servitutem redacta, sed vinculis devincta gratiæ, se ultrò fecit obligatam.

Solsequi naturam induerat, conformans se vultui Solis Imperii, *GEORGIVS HONORIVS BARO ab HERBERSTEIN* ad nutum paratus: ipsum indigitat nomen, quâ classe honoris fuerit dignus in numero Aulicorum benigni Cæsaris. Georgius
Honorius.

WOLFGANGUS JACOBVS, Cæsaris Pocillator, *JOANNES FRIDERICVS*, *JACOBVS FRANCICVS*, & *WOLFGANGVS SIGISMUNDVS*, singuli *BARONES ab HERBERSTEIN*, diu in aula versati Rudolphia- Wolfgan-
gus Jacobus.
Joannes Fri-
dericus.
Jacobus
Franciscus.
Wolfgan-
gus Sigis-
mundus.
L 2

nā , etiam extremos novercantis Fortunæ incursus minimè verebantur pro throno Cæsareo subeundos.

In statione postmodùm connubiali , diversis in Austria ac Styria occupati functionibus , quæ priūs à RUDOLPHI Cæsar is benignitate didicerant , expresserunt opere.

*Imbuerat genios natura benigna RUDOLPHI,
Regis ad exemplum quisq; benignus erat.*

Joannes Si-
gismundus.

JOANNEM SIGISMUNDVM BARONEM ab HERBERSTEIN Cæsar is ephēbum , in ipso vere & virore virtutis surculum , nimium immaturæ mortis sinistra ; vel potius dextra transplantavit in florida Tempe perpetui Veris .

Ne corrumperetur innocentia coronanda rosis , antequam afflatu Aquilonis contraheret maculam , rosæque marcescerent , meruit translationem .

Joannes
Gothardus.
Georgius Si-
gismundus.
Ernestus.
Rupertus.
Joannes Si-
gismundus.

Florem vernum messuit Parca , nec liliis pepercit , quæ ad initium Julii mensis candida explicuerant folia , odore virtutum fragrantia : illustres enim , & maximæ spei juvenes , **JOANNEM GOTTHARDVM , GEORGIVM SIGISMUNDVM , ERNESTVM , RUPERTVM , & JOANNEM SIGISMUNDVM** unus uteri germanos **BARONES ab HERBERSTEIN** . qui in triclinio Palladis , quæ ingenium , quæ indolem diversis ornarunt exercitiis , brevi successionis interstitio , contagiosa mors , quæ omnia Mundi superat exercitia , & equestre eludit hastiludium , surripuit palæstræ Palladis , nil obstante hastâ ac ægyde .

Ad virilem progrediamur ætatem.

In

In Autumno maturos decerpere fructus concessum est.

Duo genera fletūs habentur in oculis fœminarum , alterum veri doloris , alterum insidiarum : sed regula generalis admittit exceptiones speciales.

Maximum ponitur momentum , experientiâ suffragante , in provida electione tam ardui negotii , quod requirit connubium .

Quisquis in momento capit , sera captivo pœnitentia durabit ad urnam sepulcralem .

SIGISMUNDVS FRIDERICVS , LEOPOLDVS
CHRISTOPHORVS , FERDINANDVS , FRANCISCVS , GEORGIVS , ac RUPERTVS . coætanei
BARONES ab HERBERSTEIN , ut Autumni fructus decerperent , conduxere pomaria , cùm tamen his abundarent per hereditarias immobilium easque splendidissimas opes in se devolutis : ac proinde , quò incircumspectæ temeritati præscinderent aditum , providè , nec sine fano consilio , è diversis illustribus Famâ familiis pro ineundo conjugio fecere electionem , ex hoc pomario dilatandi Stemmatis fructus olim decerpturni .

Sigismundus Fridericus.
Leopoldus.
Christophorus.
Ferdinandus.
Franciscus.
Georgius.
Rupertus.

Non procul à proprio stipite cecidisse poma , eximia virtutis docuerunt anathemata , perquæ progenies ac nepotes impressa benè gestorum vestigia .

In statu connubiali , quem amor socialis tranquillum reddidit , dissipatis zelotypiæ nubibus , eò potissimum collineabant , ut non sibi solummodo , sed primariò publicæ Ducatus Styriæ , in quo resederant , viverent utilitati , olim incorruptæ Famæ reportaturi præmium .

Et hoc utiq; reportarunt eadem ætate OTHO , ADOL-

L 3

PHUS

Otho.
Adolphus
Fridericus.
Sigismundus.
Joannes
Christophorus.

**PHVS FRIDERICVS, SIGISMUNDVS
& JOANNES CHRISTOPHORVS BA-
RONES ab HERBERSTEIN.**

Vires juventutis impendentes belli studiis ; ætatis ad-
ultioris , in officiis diversis constituti , Patriæ indefessam na-
vabant operam ; eò præcipue intendentes , ut affectus in
Rempublicam , assiduè redundaret in effectum incremen-
ti.

Prudenter in arduis , consultè in prosperis , in adversis
fortiter ambulasse , viri sapientis est.

Prudentiam inter ardua negotia , fortunatos inter pro-
gressus nullum penitus fastum , nec in asperis formidinem
ostendebant , æquo semper animo.

Et quantumvis naturæ ac indolis qualitates in uno al-
terove eminentiores apparerent , eliminato livoris impul-
su , concordes inter se cordium harmoniâ , vinculo ingenui
amoris colligati , disrumpi non potuere : immo se invicem
exemplo ad altioris virtutis gradus provocare nitebantur ,
ut ignoraret vulgus , quisnam illustris illius quadrigæ am-
pliorem sortiretur prærogativam , aut honoris , aut amoris ,
per concordiæ catenam copulatæ .

Concordiâ res parvæ crescunt , discordiâ maximæ di-
labuntur.

Crevit manipulus unione ex onere gloriosior , sibi , suæ-
que prosapiæ in perennis Famæ monumentum.

In unico non videmus disparitatem præminentiarum ,
quod singuli suos affectus ad occasionem Statûs moderari ,
rationique subjugare assueverint.

For-

*Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit
Mænia, & hostiles subjugat ense manus.
Qui proprios regit affectus, est nomine Regis
Dignus, & huic virtus monstrat ad astra viam.*

Herbersteiniana Prosa, ut haec tenus compertum est, aetatis singulis magnanimiae fortitudinis, singularis prudentiae, incorruptae fidei, eximiæ pietatis, aliarumque virtutum bellicarum viros illustres exhibuit posteris in exemplum. Denique nil aliud fuit antiquissima haec Familia, quam augustissimus Herorum conventus, qui DEO in primis, dein *Summo Principi, ac Patriæ vitam cum sanguine immolare non recusabat, in quorum classe jure meritoque numeratur SIGISMUNDVS FREDERICVS BARO ab HERBERSTEIN.* Hic juventutis vires & robur expeditionibus impendit bellicis, ac maturam aetatem, post complures summam cum laude fructuque peractas legationes, per consilia ad Imperii salutem, Imperatoris Consiliarius Intimus, & Camerarius, necnon Capitaneus Ducatus Styriæ.

Sigismundus Fridericus.

Legationis tractasse provinciam, maximi honoris munus est, si requisita Legati perpendamus. In qua dignitate constitutus, tam sapientem ostendit animum, ut quidquid proferret è labiis, saperet salem, gravitate suâ nulli gravis, nisi levibus ingenii.

Capitaneus Styriæ, vires publicis impendendo negotiis amplissimi Ducatus, viduis, pupillis, ac orphanis de necessariis ad vitæ conservationem sumptibus providendo, ita communi prodesse saluti laboravit, ut non solum

pu-

publicæ incolumitatis Conservator, sed & Ampliator esse censeretur.

Denique *SIGISMUNDVS FRIDERICVS* secundum transpositionem literarum judicabatur à Cæsare, *DIGNVS CURIS, SEDI FIRMVIS.*


Robustæ fuit naturæ illustris Heros, dotatæ virtutum munitis, maturæ nimirūm prudentiæ, præstantis facundiæ, inconcuissæ fortitudinis, circumspectæ providentiæ ac suspiciendæ benignitatis, quibus adminiculis arduum legationis opus solidaverat, Austriæ *SEDI FIRMVIS* per intemeratam fidelitatem; tantis *DIGNVS CURIS*, cùm parem sufferendis novisset Imperator.

Columnam *AUSTRIACÆ DOMVS* dixisse *SIGISMUNDUM*, qui penes reliqua Magnorum Ministeriorum fulcra, columnen Orbis cum Atlante, suis humeris sustentasse visus est.

Germanum candorem erga *Summum Principem* nunquam concessit infuscari, concolor Austriacis *Candidus ac Rubicundus*, utroque nomine devotus Aquilis.

Geminos habuit fontes liberalitas *SIGISMUNDI*, è quibus promanabat; verum nempe judicium ac honestam benevolentiam; totidemque, quibus stipata incedebat, comites, humanitatem ac animi propensionem; qui nunquam se liberiorem arbitratus est, quām cùm alios suis devinceret beneficis; nunquam magis opulentum, quām cùm liberaliter præmia erogaret in emeritos, præsertim literatos, quibus asylum patere voluit.

GUTENHAAG
Wie es denen von Pettae Romenden ins gesicht fallet



Vijcher Geograph: delin

Andr Trost sculpsit

ALBANIAN LIBRARY
CHARTER OF THE

*Ex aurea liberalitatis semente, succrescit opima messis
obligatae gratitudinis.*

Princeps liberalis ex hostibus amicos, suos ex alienis,
ex infidis faciet fideles.

*Qui dederit gratis, non fundet munera gratis,
Quas gratis tribuit, semper habebit opes.*

Gratitudo enim beneficiorum observat memoriam,
quam semper virentem non sinit senescere.

Æstatistandem satis adultæ senium assecutus in hono-
rum stadio *SIGISMVN DVS*, plenus meritis depo-
suit curas unâ cum mortalibus exuviis, post decimum quin-
tum Servatoris seculum, anno nonagesimo quarto, quas
arenæ legavit, etiam in terræ sinum liberalis.

Ordinem Teutonicum, penes Melitensem, ab origi-
ne Hierosolymitanum, antiquitus institutum esse, nullus
ignorat.

Fridericus.

Imperterritæ præfati Equestris Ordinis phalangesquan-
tum successu temporis emolumenti dederint per conflictus,
per expugnationem Insularum ac Castellorum, recensere
superfluum est. *Quisquis reportatos fructus experiri de-
siderarit, cùm Ordinis Equitum Teutonici, tum Meliten-
sium, Orbis Catholici tutelarium, glriosos revolvat victo-
riis annales, & suo ubertim satisfaciet desiderio.*

In hoc Ordine Teutonico Eques *FRIDERICUS
BARO ab HERBERSTEIN*, à puero litera-
rum proœmia; adolescente genio diversas adultiorum fa-
cultatum scientias, capax ob excellens ingenium; ac in ju-
ven-

M

ventutis florilegio equestria prehendit exercitia, quibus robustam redderet naturam, ad tractandum magis ardua virium instrumenta in aetate virili, mereri voluit: cuius generosus animus domesticos inter parietes, cum effeminate ac imbelli consortio latitare deditus, in provinciis exteris remotisque procul regionibus sibi associare Fortunam, vel jam pedisse quam ulterius experiri desiderans, ad Institutum cynosuram, adversus Turcarum & Saracenorum copias strenuus bellator, armata ostendit dextram, quidnam dexteritatis lateret sub magnanima indole.

Exteras inter versari provincias, regnorumque varias nationes, acutus sensus, illustrat intellectum, judicium illuminat, rerum parit experientiam, & qua nationum, qua lingvarum cognitionem.

Bellicosae magnitudinis spiritus non sinunt se includi diuturnae quietis ac somnolentiæ ergastulo, nunquam non recentem anhelantes auram, summam arbitrantur esse voluptatem, extra molles ac delicatas Patriæ voluptates exerceri duris: non disparest apibus, inter spinas è rosis nobilissimum animi colligentes succum, per quem indoles imbuitur sapientia, virtus robore, genius fortitudine.

Exemplum esto *FRIDERICUS*, qui post complures cum hoste conflictus, post diversa vitae discrimina & emensos labores, *RUDOLPHO SECUNDO* Imperatori à consiliis, ac Supremus in Zeng Capitaneus pro merito virtutis designatus, bellum gerere non destitit: continuum enim cum vitiis, obtentâ semper victoriae palma, cum hominibus vero aluit pacem, quos ipsius benignitas fecerat captivos; at illos dimisit libertate donatos, obligatos tamen amoris ac gratitudinis obsequio.

Tandem, qui alios dimisit è vinculis, in mortis incidit,

dit, atque arma olim Saracenis metuenda deponere jussus, exauctoratus Eques (spiritu extra captivitatem libero, & ad superos prælegato) funerali inclusus urnæ, in terræ solum demissus est.

*Corporis exuvias tenebroſæ credidit urnæ,
Cœlo animam. Nomen posteritatis erit.*

Post fudoreshonores. Labores generant suavitatem Ioannes Sigismundus. honoris, ac gloriæ voluptatem, quæ nutrimenta sunt magnanimitatis, atque fortitudinis commercia per actus obtenta heroicis, priùs verò demerita per virtutem.

His nutrimentis roborantur illustres animæ, ac invicti Heroes.

Qui per illatam hostibus cladem, ac maturam victoriæ messem, interectorum cadaveribus obruunt arenam, iij denique pertingunt ad triumphalis gloriæ Capitolium.

Intergloriosos Heroes, quos unquam vidit Orbis, numerare competit **JOANNEM SIGISMVN-DVM BARONEM ab HERBERSTEIN,** olim **RUDOLPHI SECUNDI** Consiliarium Intimum, Generalem Sclavoniæ, dein Supremum campi Ducem super copias Cæsariani exercitūs, plurimis à debellata Turcarum ferocia reportatis clarum victoriis. Et quid mirum? cùm omnia, quæcunque juberet aggredi gloriofissimus Cæsar, successerint ad nutum, qui ad nutum famulante Fortunâ, tot sub auspicio Cœli retulit victorias, quo numeravit acies ac prælia.

Proverbium erat **RUDOLPHO, Omnia ex M 2** vo-

voluntate D E I, cui singulas Expeditiones, præsertim Hungaricas cum exercitu protegendas devovit, sub Generali duce *JOANNE SIGISMUNDO*, quem genit generositas, integra fides, bellorum experientia, rerumq; peritè gerendarum dexteritas, jamdudum præcesserant commendatum.

*Victori ex acie reduci, quid aliud cum Romano Imperio felix Austria poterat occinere, quam quod secum in nominis involucro attulit *JOANNES SIGISMUNDUS, JO MUNIS! SIGNANDUS ES.**

Exultavit Orbis Austriacus, gloriosum Victorem per inflictam hostibus Christiani nominis stragem, ac condensatas victiarum palmas, munivisse limites: Idcirco in Heroum catalogo aureis litteris *signandus es JOANNES SIGISMUNDE.*

Plura scribere conantem retrahit innumera ferè meritorum series.

*Nunc Heros in telluris regione quiescit,
Post multam segetem pâta labore quies.
O curis lassate diu, requiesce sub umbra,
Deficit nunquam corporis umbra Tui!*

Honor enim umbra virtutis, cùm illa intermoriatur nunquam, æternum durat.

*Georgius
Fridericus.*

Non omnibus Fortuna æquali solet obviare gressu, quosdam elevat, ut lapsu graviore ruant, alios vero deprimit, ut tollantur in altum.

Nunquam constans ac stabilis, nisi in sua móbilitate & incon-

80

inconstantia: quæ **JOANNEM SIGISMUNDVM**
ad summi honoris ac Martialis dignitatis eveyexit emporium;
eadem **GEO RGIVM FRIDERICVM BA-**
RONEM ab HERBERSTEIN, per casum
pugnæ sibi fatalem, ex ipsa acie, anno post decimum & sex-
tum renatae salutis seculum quarto, demersit in calamitatis
abyssum.

Quid enim aliud jugum tyrannicæ servitutis, quam
abyssus miseriarum, & immensum chaos curarum indolem
depascentium, in quod strenuus incidit miles, nimium af-
sequendæ gloriæ glisce[n]te audaciâ, quem per sui nominis
anagramma affari competit, **ERGO DIV FRI-**
GES CVRIS? Fidelis DEO ac Cæsari, à Turcis Bel-
gradum, & inde Constantinopolim deductus in servitutem;
ibi per sinistram valetudinem enervatus, antequam pro re-
dimendo transmitteretur lytrum, plenus in DEUM amore
& fiduciâ, cor divinæ resignans voluntati, è carcere corpo-
ris emigravit, aut potius duxit coloniam, in cœlestis pa-
tria libertatem;

Otia pariunt vitia, enervant fortitudinem animi, mi- Georgius
nuunt robur, torporem ingenerant sensibus, obnubilant in- Rupeſtus,
tellectum, eliminant vires virtutis, nominisque obscurant
radios per eclipsim.

Vita otiosa sine ullis Fortunæ infestationibus, æquipa-
ratur Mari mortuo.

In continua morari desidia, non est tranquillitas vitæ
que malacia, sed malitia.

Melius est illi, quem Fortuna suis habet in castris,
quam in deliciis.

A puero exercenda est natura ,ne inertia emolliat robur corporis ,uti rubigo ferrum.

Ne unquam **GEORGII RUPERTI BARONIS ab HERBERSTEIN** ingenitam indolentitudinem enervaret desidia ,& diminutis fractisque perlasciviam viribus ,torporem infereret sensibus ; ne obnubilato mentis intellectu,virtutis eliminaret conatus ,& antiquissimi Nominis in se nepotem derivata gloria patetur eclipsim ,juveniles annos ,posteaquam adolescentiae teneritudinem sub praetexta ,variæ eruditioñis exornasset auctario ,bellicis devovit studiis ,eligens ,potius in Fortune ac Bellonæ castris ,quam in deliciis educari .

Sub **RUDOLPHI SECUNDI** aquilino exercitu supremoque campi Duce **JOANNÆ SIGISMUNDI BARONE ab HERBERSTEIN**, ubi adversus Othomannicas invasiones in Pannoniam superiorem ,fortiter dimicatum est ,in diversis armorum congressibus ac præliis ,suæ naturæ magnitudinem affatim ostendit egregius bellator **GEORGIVS RUPERTVS**.

Caucaseæ rupis instar stetit incluta generositas ,quañ nisi post intimatam victoriam se à statione campi dimoveri passa est.

Tempesti vusest honori ,qui jam virtuti maturus est.

Innotuit tempesti vè præclarè gestis apud Imperatorem **GEORGIVS**, quem ob singulares animi dotes ,matritatem judicii ,& palam observata prudentia specimina ,adhi-

adhibuit consiliis consultorem, & aureā clavē donatūm,
elegit in Camerarium.

Aurea clavis probatæ fidei quantumvis non rarò sinum
clementiæ referaret apud benignum Cæsarem, non tamen
G E O R G I U S fastu elatus, reliquos censuit inferiores;
quum animi submissio, quæ radicem egerat, propriam de-
spiceret, aliorumque veneraretur gloriam, et si in gradu
posteriori collocatam.

Magnum & humilem esse coniunctim, summus virtu-
tis gradus est, immo scala, per quam gradatim fastigium
cœli concenditur.

Angelus à superis cur sit detrusus ad Orcum

Lucifer, in promptu est causa, superbis erat.

At virtus humilis concendit sidera, quare?

Spiritus est tenuis, nil gravitatis habet.

Amor Patriæ, tantæ est efficacia innataque virtutis, ut
etiam præsentissima non vereatur pericula.

Wolgan-
gus Guliel-
mus.

WOLFGANGVM GVLIELMVM
BARONEM ab HERBERSTEIN Ducatūs
Styriæ Colonellum, amor patriæ animavit ad ardua, pel-
lexit in discrimina, qui domi securus inter bonorum afflu-
entiam tranquillâ poterat frui vitâ.

Inter arma silere leges, nunc obsoletum est.

Hic phalangum dux, inter gliscentis belli incom-
moda, legum observator, etiam inferiores suæ fidei ac im-
perio commissos, secundum leges efformare voluit: sicut
enim Res publica suas oblevyat sanctiones, statuta, ac le-
ges,

ges, benè gubernandi cynosuras; non aliter militaris disciplina floret munita legibus, quasi obsita cancellis, quos inter *WOLFGANGVS*, ne dissoluti viverent in castris, castra metatus est, eò *MATTHIÆ* Imperatori gratior, quò strictior in solidandis bellicæ disciplinæ legibus ac statutis.

Et, ut Aquila pullos ad Solis probat radios prævolatu, quatenus adhuc pusillo alarum remigio vestigia imitentur; sic celebris Antesignanus prius exercitos probavit milites in obviis occasionibus, quò magis assuescerent promptitudine armorum, ad maiores belli progressus, animo alacriores.

Multum conducit exemplum Ducis, aut ad retrahendos, aut erigendos militum impetus.

*Acta docent, exempla movent Mavortis alumnos,
Turmatim sequitur prompta caterva ducem.*

*Dux verò timidus torpentes efficit ausus,
Quando caput languet, cætera membra jacent.*

*Georgius
Fridericus,*

Pulchra est, ac formosa floret juventus, quæ extra molliciem desidiamque educata, duris assuefecit rebus.

Pulchritudinem formæ ac indolis coronat fortitudo.

Venustas vultus in mente generosa stimulat fortitudinem; quarum foedus ac vinculum, omnium in se allicit animos, affectus conciliat, accessum parat ad honores.

Elegantia formæ, adamantine unita fortitudini, *GEORGIO FRIDERICO BARONI ab HERBERSTEIN* amplum attulit splendorem; primùm sub

82

sub vicitribus signis *RUDOLPHI SECUNDI*,
postmodum sub belli copiis *MATTHIAE*, Imperato-
rum.

Insignis animi fortitudo elucebat è formosissimo vul-
tu, immo ex oculis, quasi stellis, signa dabat evasuræ gene-
rositatis.

Mirabantur Juvenem, quem naturæ benignitas mirâ
venustate excoluerat, in belli negotiis, in conflictibus, in
fævissimis prœliis, in cruenta pugnantium acie, inter aper-
tos periculorum cuneos, inter Martis tonitrua, inter inter-
fectorum prostrata cadavera, tam constanti ac imperterri-
to ausu contra Turcas arma gyrantem, ad exemplum Achil-
lis, qui per instinctum infraicti spiritus, indutus loricam
decumanæ fortitudinis, vel in arena sangvine madens oc-
cubere, vel cum suæ Fortunæ asseclis, hoste triumphato,
victoriæ palmam decerpere satagebat.

Quâ virili animositate supra ætatem, meruit armato
Commilitonum suffragio, *STRÆNUUS CON-*
TRA TURCAM MILES palam nominari: Quo-
ties enim in Hungaricis expeditionibus Cæsarianus exer-
citus cum numerosissima hostium congerie manus confere-
re in procinctu consisteret, animosus Juvenis ad fortiter
domicandum milites hortatu, suoque exemplo accende-
bat.

Et, cùm staturâ eminens, robustus corpore, dextrâque
promptus esset, totque prius egregiæ virtutis ac fortitudi-
nis edidisset specimina, tam strenuum militem non vulga-
riter suspiciebant: imò ipse Cæsar *MATTHIAS*,
quem Fama publica *IMPETERRITVM* præ-
dicabat, posteaquam eximii bellatoris gloriose gesta per-
cepisset,

cepisset, tanti momenti indolem peculiari gratiâ comple-

xus est.

GEORGIVM FRIDERICUM transpor-

tatis non nihil literis ingenitus animi feryor, vel ipsa Fama

sic alloqui poterat, *FER DVCIS REGIS VI-*

GOR.

Vigorem indolis in ferendo, *DVCI ac REGI* abun-

dè comprobavit: quapropter sedatis belli tempestatibus,

quò auta frueretur fereniori post nubila, ab Imperatore in

bellicæ virtutis prœmium, laborumque mercedem, aurea

clavæ decoratus, Camerarium egit, quæ olim dignitas

optimè solum meritis, ac illustris statu originem ab anti-

quitate deducentibus, conferebatur.

Accessum ad Cameram monstravit bellicos ardor,
Indolis huic virtus aurea clavis erat.
Claviger hac Magni referavit clave Monarchæ
Pectus, in hoc nido nidificant Aquilæ.

Adamus.

Aucupari favorem, venari gratiam, mereri accessum
ad honoris fastigium, præsenti seculo ardui laboris opus
est.

Non unquam, quam diu Orbis stat immobilis machi-
na, in tantum literarum studia floruere ubique gentium,
quam hac ætate, ubi quilibet etiam minimæ sortis è me-
diastino ducens propaginem, per januam eruditionis, tem-
plum honoris ingredi conatur; ita ut innumera propè Eru-
ditorum series, non satis amplum sortiatur campum, in
quo licetæ ambitionis gustum pascere, suique laboris im-
pensæque industria metere possit segetem.

Ubi

Ubi verò in una sede commorantur , eruditio , virtus , illustris generis antiquitas , illic duce præminentia facilis datur accessus ad theatrum honoris .

In *ADAMO BARONE ab HERBERSTEIN* comitia habuere , singularis scientiæ cognitio , heroica virtus , antiquissimi Stemmatis celebritas , quibus velut alis instar Aquilæ ad *AQUILAM IMPERII* , nempe ad aulam gloriosi Imperatoris *MATTHIAE* feliciter advolavit ; quem Cæsar ob maturitatem judicii stateramque prudentiæ adhibuit consiliis Consultorem , ob virtutis ac celeberrimæ familiæ splendorem , Camerarium , nec non ob agilitatem , operisque venatorii experientiam , supremum Venatorum Præfectum constituit : & dum *ADAMUS* in singulis peculiarem animi ac corporis monstraret dexteritatem , anno supra decimum octavo currentis inculi quod describimus , Cæsar ad portam Othomannicam Legatum misit , in arduis Imperii negotiis , quæ duce prudentiæ , comite humanitate , ad optatam devolvit coronidem .

Noverat *ADAMUS* , licet auceps non fuerit unquam , nisi favores populi , ac benevolos literatorum affectus alites esse dixerimus , quos suavi benignitatis visco inscavit ; noverat inquam aucupari animos , & Venator , immo supremus Venatorum Præfectus , Summi Principis venari gratiam , per talentorum retia , ut Eundem citra Majestatis præjudicium , semper retineret vinculis amoris irrestitutum .

Etiam barbaros ac infideles captivos habuit , quos in functione arduæ legationis sibi fideles effecit , ac humanos exutâ barbarie .

Tanti est momenti in studiis humanioribus solidum posuisse tyrocinium ac fundamentum.

Joannes
Fridericus.

Virum perfectum cense, quem videris interritum in periculis, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, **JOANNEM** nempe **FRIDERICVM, BARONEM ab HERBERSTEIN,** qui nullo terrebatur discrimine, felicem se prædicans, si instar navigii in vicissitudinum pelago contrariis exagitatus Aquilonibus, ad portum publicæ tranquillitatis tandem transfretaret.

In consiliis bellicis magnâ opus est circumspectione & providentia, quò proficuum sortiantur effectum: plerisque enim sinistri non satis digestorum consiliorum eventus redundant in Consultores, non sine nota imbecillis judicii: Idcirkò **JOANNES FRIDERICVS,** non rarò ad consilia bellica in exercitu requisitus, providam adhibuit industriam in subministrandis militari statui consiliis, ne ulla præventus temeritate, naufragium celebris Famæ, suis benè gestis promeritæ, pateretur.

Sub gloriose regimine Cæsar is **MATTHIÆ,** supremus in Koprinitz Capitaneus, omnem admovit lapidem, ut sub suo præsidio rei militaris floreret disciplina statutis inclusa legibus. Fidelis Capitanei munus solidabat vigilantiâ, providâ circumspectione, quod assecuto virtutis, ætatis, ac meritorum senio feliciter terminavit, dum vitæ absolveret terminum.

Non imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.

Bernardi-
nus.

BERNARDINVS BARO ab HERBERSTEIN non à Majorum deviavit vestigiis.

Ab

Ab incunabulis studio virtutum deditus, ad virilem usque ætatem tantum edidit profectum, ut dignus censeatur à Cæsare *MATTHIA*, qui assumeretur ad danda belli consilia Consiliarius.

Cùm vocantur, lento passu gradiuuntur honores, vo-
lant, ubi venerunt advocati.

BERNARDINI excellens indoles non vulgaribus imbuta ingenii talentis, merebatur gradus sublimiores, quos non nisi advocatus ascendit.

Ubi summo Principi in subministrandis sanioris judicii consiliis fidem suam ubertim comprobasset, *MATTHIAS*, ut intima sui pectoris aperiret *BERNARDINUS*, auream porrexit clavim Camerario: hac ipsâ suam egenis, potissimum eruditis, quos intimo affectu prosecutus est, aperuit liberalitatem; quam palam circumferebant ambulatorij præcones,

Sicut in Avaro invenies omnium fermè vitiorum congeriem, machinationes & dolos, insatiabilem auri argenteique voraginem, incudem mendaciorum, exilium munificentiæ, insidiarum casses, infidelitatis barathrum, altercandi consuetudinem, æmulationis, simultatis ac invidiæ commercium, & quidquid infamium scelerum egurgitat abyssus infernalis: sic in pectore *BERNARDINI*, quod ex amore erga proximum, semper apertum exhibuit, reperiebatur benignitatis affectus, germani candoris integritas, illibata fides, mansuetudinis Favonius, lenitatis balsamum, comitatis ac affabilitatis bellaria, non simulatæ submissionis exercitium, ac quidquid bonorum siderum, influxus distillare solent.

Dixit̄les in sinu *BERNARDINI* virtutes celebrazze
N 3 Con-

Conventum publicum, ut inde omnia opulentè reeundarent in publicam salutem.

Quò major, eò humilior erat **BERNARDINUS**, & ut magis hanc exerceret virtutem, Cæsar virtutis amanssimus, eum in supremum stabuli Præfectum constituit.

A brutis nil bruti contraxit, cui equorum generositas sat erat cognita, qui à puerō tam suum, quām caballorum, all'veverat frenare impetum.

Inferioribus suæ curæ ac inspectioni commissis præscriptas ordinationis regulas, proprio adimplevit exemplo, quò ad imitandum redderet promptiores.

Omne trinum in **BERNARDINO** erat perfectum, qui tam Consiliarium & Camerarium, quām supremum stabuli præsidem agere noverat ad amussim.

MATTHIAS Imperator, sua inter adagia numerabat, *in dando consilio non festinandum, sed in adimplendo. Odio illum prosequor, sicut infernum, qui, aliud eloquitur, diversumq; in corde absconditum reservat.*

Solsequium animus **BERNARDINI**, ad sui Solis intuitum hæc expressit opere.

Consultor non festinanter edidit consilia, sed providè. Consiliorum verò effectum sibi subindè demandatum, maturare non distulit: & dum verè germani cordis elset, quidquid latebat in corde, facundæ lingvæ osticio expressum voluit, ne degeneraret ab **AQUILA**. Et ut in singulis suum sequeretur Monarcham, anno post decimum

mum nono hujus seculi vitâ defunctum, post anni unius intervallum, indutus vestem immortalitatis, secutus est.

Omnia MATTHIÆ sequitur vestigia; tandem

Nec mortis renuit promptus ad astra sequi.

Dicitur hinc merito de jure FIDELIS AD UR-
NAM,

Atque suam vitâ & morte probasse fidem.

BERNARDINVS. postquam plenus meritis spiritu translegasset superis, post se reliquit fratrem germanum *GEORGIVM ANDREAM BARONEM ab HERBERSTEIN*: qui vita solitariae devotissimus, ut aulicas evitaret solicitudines, maluit domesticos inter parietes se virtutum illustrium sacrare confortio, quam in aula non raro periculum labendi suggestente versari. Nihilominus suam domi reperit felicitatem, dum è connubiali thalamo, suffragante Cœlo, tales produceret filios, qui non duntaxat inter Sacri Romani Imperii Comites numerarentur, sed etiam Episcopali infula, ac Principum tiara se redderent dignos ac particeps.

Georgius
Andreas.

Fœcundum erat conjugium, è quo *JOANNES FRIDERICVS, JOANNES LOPOLDVS, JOANNES GEORGIVS* Imperii Princeps, Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopus, ac *JOANNES BERNARDVS* in filiis adhuc vivens gloriosus, promanarunt.

Joannes Fri-
dericus.
Joannes
Leopoldus.
Joannes Ge-
orgius.
Joannes
Bernardus,

Ofelix solitudo, quæ similes producit fructus seræ
Posteritati.

Arbor

*Arbor erat quatuor protendens inclyta ramos,
Quos Comites virtus fecit & una Ducem.*

Joannes
Adalbertus.

JOANNES ADALBERTVS BARO
ab HERBERSTEIN, quem à teneris in adultam
virilitatem exerciti labores, apud Cæsarem **FERDI-**
NANDVM II. cognomine **PROBUM**,
triplici honoris coronarunt lauro, per duplex sui nominis
anagramma, se ad labores fuisse natum, probè contestatur.

I, EN NATVS AD LABORES. AN
DEES LABORI NATVS?

Non defuit unquam **JOANNES ADALBERTVS**: etenim adolescentiam literis humanioribus, ju-
ventutem in equestri paludamento congruis statui exer-
ciis, virilemque ætatem functionibus immolavit aulicis,
adultiorem verò bellicæ, ac tandem publicæ saluti.

Quicunque vitali vescimur aurâ, nati sumus ad labo-
res: quid aliud enim hominis vita, quam officina labo-
rum?

Omnia Dii vendunt laboribus, vetus ait adagium,
non absque veritatis fundamento.

Per labores comparantur divitiæ, ac conservandi ali-
menta corporis, per labores tendimus ad honores, denique
per labores augmentur merita virtutis, ac immortale gene-
ratur nomen.

Non aliter **JOANNES ADALBERTVS** com-
paravit divitias cùm indolis, tûm Fortunæ. Ex hac semen-
te genio ad majora genito nati sunt honores, surrexit
è me-

è meritis gloria , Famæque celebris accrevit nutrimentum..

Verùm ut labores eò fertiliores progenerent fructus, firmam oportet ac solidam iis posuisse basim in probitatis centro.

FERDINANDVS II. Orbi universo in exemplum ac speculum eximiæ probitatis expositus , à natura PROBI agnomen meruit , de quo tritum illud encomium,

*Religionis erat Zelus quasi Fanitor aulæ,
Astra talentorum quo radiare solent.*

Regis ad exemplum JOANNES ADALBER. TVS tam in aulico constitutus ministerio, quām in arena belli , probitatem lateris comitem , imò pectori semper inclusam voluit ; nec ipia deseruit in Albo monte Pragensium strenuè pugnantem Chiliarcham contra infestos confæderati exercitūs manipulos , manifesto DEI subsidio triumphatos.

Primū FERDINANDVS suum quem amabat intimè JOANNEM , adhibuit Consiliis aulæ bellicis , ubi per theorematā tantoperè profecit , ut brevi post subministrata bello consilia , è theorā profiliret ad praxim Colonellus , ex arbitrio FERDINANDI: In bello quippe adversus Bohæmorum nonnullos gesto , qui alium , quām legitimū suū desiderabant Regem , usque adeò generosum (ut patebit è subsequenti serie) se gessit , ut pauci majorem fortitudinis laudem ex illo , AUSRIACÆ DOMVI secundo , Adversariis verò fatali prælio , reportarint.

O

In

In albo monte non procul à Triurbe Pragensium con-
grediebantur exercitus.

Cæsarianus sub Supremo militiæ Præfecto **MAXI-
MILIANO** Duce Bavariæ constituit.

Contigit hoc prœlium anno post millesimum ac sex-
tentesimum vigesimo, octavâ Novembris, quæ dies Solis
erat, ut **UNICO SOLI ORBIS CHRISTIANI
FERNANDO** luceret serenior.

Et cùm Evangelica præfatæ diei lectio hortaretur,
„ut daremus Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & DEO, quæ
„D E I sunt, felici successit omne, ut indubitatâ
interuentione summæ **IMPERATRICIS** Cœlorum,
cujus imaginem à scelerata manu erasis oculis mutilatam,
Religiosus Ordinis de monte Carmelo, gliscentibus impe-
tu copiis præferebat, unâque divinam implorabat vindic-
tam adversus rerum sacrarum sacrilegos profanatores,
ex parte Cæsarist gloriosam obtinerent victoriam.

Sub Cæsariano itaque exercitu **JOANNES ADAL-
BERTVS** in hac acie, quæ diu ab incepto prælio inter
dubiam Fortunæ aleam versabatur, suos ferventi hortatu
animavit, ac heroico præcedens exemplo Antesignanus,
acuit vires pugnantium in fortunatam usque conflictus
catastrophen.

Sic DEO ad suum arbitrium omnia disponente, irrita
cecidere consilia adversantium, disruptis undique lævo-
rum conatum cuneis & catastis.

Miraculosam fuisse victoriam, cùm Cæsariani nume-
ro multum inferiores essent confederatorum exercitu,
referunt Annales.

Novem

Novem millia Bohæmorum , aliorumque Commilitonum , amissis è parte nostra vix ducentis , prostrata cladem contestata sunt .

Centum vexilla ab hostibus reportata , penes decem grandes bellum machinas , diversosque rei militaris apparatus , fuerunt anathemata triumphi , quem *SOLI DEO* ad augustissimæ *DEIPAREN TIS* maternas preces impetratum adscripsere .

Hoc unico prælio , concessâ divinitùs victoriâ Bohæmi , dum Adscitius Rex , relicto post se regio diademeate , fugâ sibi consulturus evanesceret , vacuumque legitimo Regi ficeret solium , obtentâ à *FERDINANDO* gratiâ , in pristinam redacti sunt observantiam , immaturo fastu per sinistrum adversantis Fortunæ , quem armis superiores non speraverant eventum , profligato .

Propulsâ tandem è Regni medulla tempestate , restituтоq; tranquillitatis statu , *JOANNES ADALBERTVS* post resignatas militiæ curas , ad alias à *FERDINANDO* Cæsare destinatus , Supremi in Zeng Capitanei dignitatem adeptus est .

Profectò ad labores fuisse natum ac educatum , primi-
tus datum non fecellit omen ; immo laboribus immortuus
fecessit ad quietem .

*Qui natus fuerat multos sufferre labores ,
Ardua post vitæ gesta quiescit humi .
Terratenet corpus , decus Orbis , spiritus astra ,
Sic tribuunt leges unicuique suum .*

Ad equestres progredimur Ordines , de quibus mentionem fecimus superius.

Antiquitate instituti præcedit Ordinem Teutonicum, jure prioritatis Equitum S. Joannis Hierosolymitanorum (qui per successionem ætatis ab insula Rhodo Rhodii, & nunc ab insula Melita , Melitenses nuncupati sunt) origo ac celebritas nominis.

Equites Teutonici alias Mariani , traxere originem è Terra Solymæa in Urbis obsidione Ptolemaidis , anno post undena secula nonagesimo.

Mariani seu Teutonici Equites derivant nomen à Nosocomio , admirabili *D E I M A T R I M A R I A E* per Teutonem diuitiis abundantem , qui illic gentium fixerat domicilium , dedicato , cui templum sat augustum sub eodem titulo sociavit.

Antiquitas dicta est fraternitas Ordinis Teutonici Hospitaliorum *M A R I A E V I R G I N I S*.

Hoc insigniti charactere Equites Mariani , sub supremi Magistri præsidio nigram in candido pallio ferentes cruem , in cœlibatu contra Infidelium phalanges pro Christianæ fidei defensione , in aperto stare non detrectant. Nunc verò translatus Ordo in Borussiam , absque effusione sanguinis quiescit à labore.

Equites S. Joannis Hierosolymitani (quorum *S U - P R E M V S P E R G E R M A N I A M M A - G I S T E R*, Serenissimus ac Eminentissimus Princeps , *F R I D E R I C V S*, Sacrae Romanæ Ecclesiæ Cardinalis , *L A N D -*

LANDGRAVIS HASSIÆ & Divi LEO-POLDI Cæsar, Supremus per utramque Silesiam Capitaneus &c. omni præconio dignissimus) complurium annorum serie precedunt Teutonicos : nam cum anno post dena secula duodecimo, Turcæ unæ cum Saracenis occupassent Palæstinam, ædemque sacram Dominici Sepulchri integrum reliquissent, ac inviolatam ; Amalphitani mercatores ex urbe Regni Neapolitani Amalphy Hierosolymam appulsi, è consensu Caliphæ Ægyptiaci, penes Basiliacum S. Sepulcri ædificarunt Cœnobium Magnæ *DEI MATERIS* honori, ac Oratorium patrocinio Divi *JOANNIS* Baptistæ consecratum ; Ubi Abbatem cum Cœnobitis jam olim institutum, *GODEFRIDVS ac BALDWINVS*, Duces Lotharingiæ, recuperatâ vi armorum Palæstinâ, per successionem terræ sanguine Christi conspersæ Reges, opulentis auxere proventibus, quorum fidei ac generositati Urbes ac Castella adversus Saracenorum, aliorumque Infidelium violentos insultus, armis defendenda commisere.

Anno octavo post dena cum ternis secula, sextâ Idib. Augusti, defensores fidei, ac sacri sepulcri tutelares, Saracenis animoso conatu expugnatis, insulam Rhodum penes quinque contiguas, suæ subjugarunt potestati ; donec eandem Solymannus Turcarum Imperator, post novem mensium arctissimam obsidionem cum exercitu ducentorum ac viginti quinque millium, anno supra quindena secula post vigesimum tertio, iterum eriperet, non sine insigni suarum copiarum strage.

Postquam verò *CAROLUS QUINTVS* Romanorum Imperator Insulam Maltham seu Melitam anno illius

seculi supra vigesimum nono , è Rhodo insula exulantibus concessit, Equites Melitenses nominati sunt, quam hucusq; supra pectus pro Insigniis albam octangularem gestantes crucem , armata manu defenderunt.

Ludovicus.

Fundamentum Equestrium Ordinum, originem ac progressum , cùm rarissima sit materia plurimisque incognita , non abs re præmittendam esse censuimus , quò inde magis elucesceret , quantus fuerit **LUDOVICUS BEARO ab HERBERSTEIN** Melitensis eques generosus , qui Fortunæ eludens vicissitudines , in maritimæ Classis comitatu sæpenumerò Othomannicis restitit viribus , perque vim bellicam superatishostium navibus , ad excidium impulit armis resistentes.

Gloriosa virtus ! quæ nulla veretur soli salique discrimina , atque sanguinem pro Catholicæ fidei defensione , ac incremento , fluctibus marinis commiscere non aversatur.

Sic florem suæ juventutis , sic virilis ætatis robur impedit saluti publicæ **LUDOVICVS** , qui jam evicit ludos , at satis austeros in pelago , inter ignem globosque spumantium machinarum tonitrua.

Lufit globis ac globulis , quibus elufit hostium' impetus , unitaque Equestrium Commilitonum virtute vicit non inglorius.

Jam dedit ludis terminum , cuius heroicus ardor nullam sensit periodum , nisi fatalem mortis , dum maturus astris , è Mundi castris emigraret Paduae , ac pro capite ornando laureis , manus & pedes instititis oneraret.

fam

*Fam vici ludos Athleta, quiescit in urna
 Corpus, & ad superos spiritus ivit Avos.
 Lude tuas Fortuna vices, securus in astris
 Nunc illudo tuos, aspera fata, dolos.*

Naturæ ad segnitem inclinati fortiter resistendum est.

Adamus
Quintinus.

Feriari ac sectari otium, præcludit aditum strenuæ virtuti, laborisque generat fastidium.

ADAMVS QUINTINVS BARO ab HERBERSTEIN, quantumvis ejus natura molli educatione assuevisset, non tamen inclinabat ad desidiam: ferias segnitem parituras aversatus, à surculo ætatis pro qualitate statûs laborem, virtutis exercitium, in primis in ludo equestri ac literarum, speciali affectu prosecutus est. Et quia heroica indoles confestim in virore adolescentis vitæ, qualis olim esset evasura, ubertim ostendebat, è Minervæ palæstra ad Bellonæ arenam faciens transitum, bellis imbutus exercitiis, sub hasta stadiodromum agere voluit, donec ex infimo gradatim ascendens super Cæsarianas equitum cohortes Colonelli assequeretur dignitatem.

Generosum est, quod à natura nunquam degenerat.

ADAMI QVINTINI Indoles, quæ Majorum vestigia ex asse imitari in votis habuit, non degeneres expressit actus.

In supremo Martialis honoris gradu, exemptis Generalibus Gradiyi Primipilis, disciplinæ bellicæ industrius Observator, non exiguum merebatur laudem, nec ulla verebatur discrimina pro *DEO, CÆSARE, ac POPULO*, pugnaturus in acie.

Non



Non auro (ut depravata norunt ingenia) sed armis expugnandæ sunt urbes, hostesque vincendi ; & in iis consistit salus Reipublicæ , cui magnanimus bellator post DEUM ac Cæsarem devoverat vitam.

Virtutes probati spiritūs destruuntur voluptate. Militare vitium est excessus temperantiae , innumeram progignens vitiorum seriem ad conflictum animæ.

Quantumvis ADAMUS QUINTINVS
se post primam ætatem adscripsit militiæ , non tamen vulgari militum consuetudini inhærere placuit : non enim plerique se immergunt cæno voluptatum , ac gulæ fuentes intemperiem , se efficiunt vitiorum prostibula ; minimè .

Quicunque ad altiores aspirant progressus, suæ virtuti consulentes, extra vulgum emanare student, prout illi, qui inter pelagi fluctus velificantes, se committunt Fortunæ arbitrio, ne ortâ ventorum tempestate incurvant periculum naufragi, tempestivè ad portum transfretare connituntur. Idcirkò, ne animosus manipolorum militarium Antesignanus triste pateretur virtutis naufragium, suæ triremi Gubernatorem maturum præfecit judicium, remigesque constituit ordinato's animi affectus, per quos non ingloriæ felicitatis attigit portum.

Bona fama etiam in tenebris proprium retinet splendorem.

Retinuit semper suæ famæ nitorem incorruptum, *ADAMVS QVINTINVS*, qui diversas virtutes bellicoso univit animo, quod ex Herois apparent nomine: *UNIT. QVIS AMANDVS?* Propter Unionem cum Politicarum tum bellicarum virtutum amandus erat. Durante bello , laudabili præcessit exemplo , nos utique , ut sequamur ad sepulcrum. *Ducit*

90.

*Dicit e castris ad sidera sanguine fuso
Semita, purpureis quæ via stratis rosis.
Heroes simili deceidunt morte, coronam
Pro meritis donant fortibus astra viris.*

E bello ad aulam nos transferimus, diu tamen illic non commoraturi ; rarum duntaxat prodigium cum viderimus, revertemur ad alia.

Nulla ibi metuenda sunt innocentiae minuendæ pericula , quæ accessum reddant difficilem, cum aula sit *FERDINANDI SECUNDI, PROBI* Cæsaris, in qua virtutes obtinuere summæ prærogativam dignitatis: quoties enim *FERDINANDVS* quæmpiam in Ministrum adoptatum iret, convocatis in concilium ac consilium virtutibus, earum subscriptis suffragio: quod factum est, dum *GEORGIVM SIGISMVN'DVM COMITEM ab HERBERSTEIN* in suum elegit Consiliarium, & Camerarium: Serenissimus vero Archidux Austriae, *LEOPOLDVS GULIELMUS*, in supremum suæ Præsidem Aulæ.

Georgius
Sigismun-
dus.

Fortunatissimum blandientis Fortunæ pullum dixisses *GEORGIVM SIGISMVN'DVM*, qui tantis honorum aulicorum præminentissimus, cor sui Principis habuit in manibus.

Honores in tam magno viro, mores mutarunt in meliores, quod rarissimum.

Stabat in emporio gloriæ, à latere Principum, ob de meritam Solis Imperii gratiam, in affluentia quæ honorum, P quæ

quà divitiarum : et ne fortuito casu lubricæ sortis laberetur, sponte descendit in humilitatis abyssum.

Viderat in æternitatis speculo, præstigiatricem gloriam esse furnum, qui evanesceret in aëre, nunquam apparitum.

Viderat favorem Principum ac gratiam, esse bullam bullientis aquæ, subito expirantem.

Viderat opum congeriem esse pilam variantis Fortunæ, quæ luderet pro arbitrio.

Et hæc omnia mensurans sanæ rationis perpendiculæ, repudiatis dignitatum subselliis, relictis post se divitiis, bellum ingressus est.

Mirabile ! Naturam maximæ æstimationis assuetam supercilioso, tam repentino motu fuisse transmutatam !

Ingressus est bellum sub vexillo candido Divi **DOMINICI**, Patriarchæ Ordinis Prædicatorum, candoris amans, strenuè militaturus; bellum inquam, contra vitiosos habitus, adversus hæreses, ac propriam carnem, cui indixit divortium, spiritu voluptati prævalente.

Divi Patris **DOMINICI**, ex illustri Gusmanorum sangvine (qui demum in Ducalem ac Regium succrevit) in Regno Hispaniarum Palentiæ prognati, celeberrimus Ordo, post duodena restitutæ salutis secula anno sexto, ortum, ac originem sortitus est.

Murus fuit aheneus ab incunabulis contra hæreticos Albigenses, quos **DOMINICUS** ad hydræ genitus extidum singulariter prædestinatus à DEO, conscriptis pro Instituto commilitonibus & religiosis Athletis, felicissime

mē profligavit, ac profligatos, ne ulteriores agerent radices, funditus extirpavit, ut hoc seculo vix aliqua hæretici hujus veneni (quod magnam Orbis partem tum temporis inquinaverat) remanserint vestigia.

Prædictus Ordo ad promovendum Gloriosissimæ *DÆIPARÆ* cultum zelosissimus, summè placuit *GEORGIO SIGISMVNDO*, qui in tyrocinio, antehac *PROBICÆSARIS* Confiliarius ac Camerarius, nec non Archiducis *LEOPOLDI GULIELMI* supremus Præfectus Aulæ, postmodùm inter humiles monasterii labores, omnibus omnia factus ad exemplum Christi, studuit submissioni, ac in virtutum, vitæq; religioæ stadio, tanto profecit conatu, ut ad finem devolutâ probatione spiritus, postquam se triplici, Paupertatis, Castitatis atque Obedientiæ vinculo, Ordinis ad institutum, obligasset, post presbyteratus acceptum characterem, communis Electorum ter reiterato suffragio in Priorem Provincialem Austriae, eligeretur *GEORGIVS SIGISMVNDS*.

Bonum omen ex nomine *O'DIGNVS SVRGIS, MUGIES!*

Non tam profundè abscondi poterat virtutum splendor in *GEORGIO SIGISMVNDO*, quin luceret in aula Pacifici Imperatoris *FERDINANDI TERTII*, qui ad se vocatum, in secretissimis salutis publicæ negotiis, ad Regem Galliarum Lutetiam Parisiorum, ac alios Orbis Principes alegavit.

Decus erat ætatis nostræ, & ob tantam statu[m] vitæque repentinam mutationem, illustre prodigium, ac incomparabile speculum humilitatis, qui anno post millesimum &

sexcentesimum non procul à quinquagesimo, suæ lucis evibrabat radios, donec vitæ laudabiliter transactæ pateretur eclipsim.

*Qui mundus fuerat, Mundum contempsit, ut inde
Per Mundum faceret mundus ad astra gradum.*

Ad aulam revocamur: adest enim, qui *SINV FERT TERRIS DECUS*, & licet aliquantum claudicet, casum non veretur.

Ernestus
Fridericus.

Is est *ERNESTUS FRIDERICVS COMES ab HERBERSTEIN*, quem naturæ donis illustrem, illustriorem virtute, & in expressis præclarè gestorum vestigiis illustrissimum, aula *FREDERICI NANI TERTII* honoravit, primùm apud Austriae regimen Consiliarium, Cæsaris Camerarium, dein supremum Göricensis Comitatus Capitaneum, tandemque Intimum Consiliarium suæ Majestatis.


Auream gestabat clavim Camerarius, quâ non singulis, sed emeritis duntaxat, præsertim doctrinæ prærogatiâ conspicuis, accessum aperuit ad thronum gratiæ.

Auream indolem flammis adversitatum examinatam aurea decet clavis.

Hac aureâ suæ quodammodo ingenitæ humanitatis clave etiam ferreos reseravit animos, quò depositâ ferri duritie ad augustissimæ Majestatis solium prostrati, molliores facti humanam induerent naturam: *nam quodcumq; secundum Pacifici Cæsaris solenne adagium, offici-*

HERBERSTEIN

Wie es von Mittag her ansehen



Abend Seite

Feistritz Fluss

1
2
3
4
5
6
7
8
9

, officio humanitatis impetrari potest , nullius indiget
 „ rigoris, aut belli vehementia.

ERNESTUM FRIDERICUM, cùm
 in tanto dignatum fastigio , ac in summa *SUMMI*
PRINCIPIS gratia constitutum intueretur fama publi-
 ca , translocatis in nomine literis , sic affata est : *FER SI-*
NU TERRIS DECUS.

Attulit *ERNESTVS* in cornu Amaltheæ , salutis pu-
 blicæ amantissimus , quem Aula ad hoc efformatum esse
 palam contestata est ; imò ipse Cæsar , per speciales quos
 exhibuit affectus benevolentia.

Exiguum habuit *ERNESTVS* , si censeri potest , vi-
 tium , vel à natura , vel fortuito casu adhuc puero illatum :
 uno nempe pedum aliquantulum claudicabat , nunquam
 verò fide atque candore animi erga *SUMMVMO MO-*
NARCHAM ; ita ut *FERDINANDVS* in hæc eru-
 rit verba Augustus Encomiastes : *quod in minimo natu-*
ra subtraxit ERNESTO , in dotibus tam præcla-
ræ indolis resarcendo , ubertim compensavit.

Quid egemus testibus ? cùm Unus pro mille sufficiat
 „ *FER DINANDVS* , crebrò dicere solitus , *Quisquis*
 „ *integrum habet conscientiam bonumq; nomen , tam in*
 „ *terra , quam cælo subsistet , in ERNESTVM colli-*
 mando Augustalem , quem candidæ conscientiæ , ac opti-
 mæ famæ Ministrum agnoverat.

In sinu *ERNESTVM* tulisse decus , & ad clavum

sedentem suaviter navigâsse, jam abundè constat, quem ab Austro flantes favonii tam benignè propellebant, donec hac ætate ad portum permearet.

*Quem Fortuna vehit, non est securus in alto,
Quem divina sinu gratia portat, erit.
Appulit in portu superis afflantibus austris,
Austria quando suum misit ad astra decus.*

Georgius
Sigismundus.

Celebria Heroum gesta sunt fomenta honorum, ac sustentatio gloriæ, quâ nomen perpetuum floret apud posteros.

Virtutis viam sibi ambulandam tempestivè elegerat
GEORGIVS SIGISMUNDVS COMES ab HERBERSTEIN dum ad majora maturæ vires, ulteriores svaderent progressus, imperterritâ indole adhuc imbellem Adolescentis ætatem stimulante.

Chiliarchæ super provinciales Styriæ legiones postmodùm constituto, pro defensione Patriæ, & incolumitatis publicæ conservatione, armavit ac animavit conatus bellicos generositas, animi quoque constantis fortitudo per multa rerum discrimina roboravit, donec finis coronaret opus, vitamque honorificè absolutam epilogus.

Georgius
Jacobus.

Regium sanè dictum Ludovici Secundi, Regis Galliarum, *Virtute metiri oportet merita, non proavorum antiquitate. GEORGII JACOBI COMITIS ab HERBERSTEIN,* illustria merita non duntaxat à vetustate Stemmatis, sed etiam ab insigni indolis virtute metiri competit, qui **FERDINANDI TERTII,**

TII Cæsaris, & FERDINANDI QVAR-TI Romanorum Regis Consiliarius atque Camerarius, nec non Deputatus Styriæ, virtutem honorum prodromam sibi à teneris sociatam voluit, quæ ipso jam tumulato, adhuc in memoria posteriorum superstes vivit.

FERDINANDUS COMES ab HERBERSTEIN, aulicus Imperii Consiliarius, & Camera-
rius Imperatoris, Antecessorum imitari studuit vestigia
non inglorius, qui pedissequam meruit gloriam benè ge-
stis, etiam post fata encomium habituris. *FERDINAN-*
DI fratres fuere *GEORGIVS RUPERTVS, &*
FRANCISCVS, COMITES ab HERBER-
STEIN, quorum primus in expeditionibus bellicis o-
stendit animosam promptitudinem, alter vero Commissa-
rius universorum Statuum Austriæ, in sibi commissis fun-
ctionibus, industriam.

Ferdinan-
dus.
Georgius
Rupertus.
Franciscus,

SIGISMUNDUS ULADISLAUS Sigismun-
dus Uladis-
laus.
COMES ab HERBERSTEIN, LEOPOLDI Consiliarius & Camerarius, diversisque vicibus Deputatus Austriæ, in via virtutis progressum faciens, ampliores adhuc meretur honorum gradus, maturâ prudentiâ animi dotes confirmante.

FRIDERICVM HARTMANNUM Fridericus
COMITEM ab HERBERSTEIN, Seniorem Cæsaris *LEOPOLDI* Camerarium, ob egregia quibus florebat, talenta, invidere fata mortalibus, quem astris maturum, ad meliorem transtulere sedem.

Ex

Joannes Er-
nestus.

Ex involucto sui nominis affari liceat **JOANNES NEMERNESTVM COMITEM ab HERBERSTEIN**, Cæsaris Consiliarium, Camerarium, olimq; Deputatum styriæ, **AN TV SERENS SENIO?** Copiosam reliquit posteris fementem, Senio nempe duraturæ in ævum gloriæ ; seminavit labores, ut meritorum meteret segetem in æternitate.

Georgius
Achatius.

GEORGIVM ACHATIVM COMITEM ab HERBERSTEIN, virtutis fuisse fidum Achatem, nullus dubitet : & sicut interpretos lapides numeratur Achates, sic Achatius inter viros gloriosos jam (ut non dissidimus) insertus annulo perennis felicitatis & gloriæ.

Qui legitimè certarunt, merentur coronari, per absolu-
luti laboris præmium.

Christo-
phorus Leo-
poldus.
Franciscus.
Albertus.

CHRISTOPHORVS LEOPOLDVS & FRANCISCVS ALBERTVS, COMITES ab HERBERSTEIN, post ætatem in laboribus, & virtutum exercitio non ingloriè transactam, nunc legitimè terminato certamine bonæ famæ reliquere nemoriam.

Sigismundus Ferdinandus.
Franciscus Güntherus.
Franciscus Joseph.
Joannes Ignatius.
Joannes Franciscus Carolus.

Inter gloriosi stemmatis racemos in Herbersteinia-
dum numerantur arbore, **SIGISMUNDVS FERDI-
NANDVS, FRANCISCVS GÜNTHERVS,
FRANCISCVS JOSEPH, JOANNES IGNATIUS,
JOANNES FRANCISCVS CAROLVS,
JOANNES FERDINANDVS, FRANCISCVS
CHRISTIANVS, GEORGIVS GODEFRIDVS.**

CON-

CONSTANTINUS, RICHARDUS HENRICUS, RUDOLPHVS, GEORGIVS JACOBVS, CAROLVS, & MAXIMILIANVS SIGIS-

MUNDVS lineæ Püsterwaldianæ non infimus splendor, præsertim literarum, quibus quasi radiis hactenus effulgit, publico honorum suffragio, Philosophia laurea non ita pridem coronatus, aliique complures, *COMITES* ab *HERBERSTEIN*, nonnulli ex iisdem ob benè merita, nec non eximias indolis dotes, *CÆSAREÆ REGIÆq; MAFESTATIS* Consiliarii ac Camerarii, tam arte, quam Marte celebres, quà virtute, quà dignitate illustres, quos partim vitâ defunctos, partim etiam inter viventes constitutos, secundum merita condignis venerari encomiis, angustæ rei compendium non concedit.

Omnis ac singuli, quos strenua virtus extulit, aut adhuc vivos ad sublimiorem honoris ac gloriæ gradum reservatos coronabit laureis, nondum absoluta meritorum congerie, cùm *ante obitum* è sapientis Solonis sententiâ, *nemo beatus censi possit*, non desiderant prædictari, secundum Cæsarisi Pescennini symbolum, *Placere vivus, laudari mortuus volo.*

*Vos, qui sidereois inter nunc vivitis Orbis,
Despicitis nostri fata vicesq; statu.*
*In portu stat vestraratis, secura procellas
Ridet, & è tumidis vœctâ triumphat aquis.*
*At Vos, quos Orbis retinet Labyrinthus honorum
Palmiferos inter, quos dedit aula, gradus,*

Q

Vivite

Vivite felices, vobis fert gloria laurus,

Donec ad æthereos transvehat aucta choros.

Georgius Güntherus. Ingens est thesaurus, ab antiquo ac glorioso Stemmate, in quo tot, tanti que Heroes, pro aris & focis in acie athleticè pugnando defuncti, tot Cæsarum Regumque magni Ministri, tot viri illustres ingenio, qui in religioso ac ecclesiastico statu singulari floruerunt sapientia, illustrarunt Orbem, suam deduxisse originem, genus ac sanguinem.

GEORGIVS GÜNTHERUS COMES ab HERBERSTEIN, invictissimi Cæsaris, gloriissimè gubernantis **LEOPOLDI Camerarius**, antiquum suæ prosapiæ splendorem, quem propriis ampliavit meritis, cunctis præferebat thesauris, quos lubrica Fortuna per fortuitos casus rerumque infestat vicissitudines, & pro novocali absorbet arbitrio.

Camerarius erat **LEOPOLDI, GEORGIVS GÜNTHERVS**, dignus aurea clavis, quâ suum aperiebat thesaurum, nunquam infuscati candoris, quem magnanimus **IMPERATOR** plus aestimare novit, quam unionum congeriem, aurique pondera, sortis substrata instabilitati ac ludibrio.

CANDIDUS erat ac **RUBICUNDVS Camera-**
rius, ad cynosuram Archiducum Domus Austriacæ; ob germanam integritatem candidus; ac rubicundus, ob reverentiam **TANTÆ MAJESTATIS**, cui rubore suffusus, etiam sanguinem è candore fidei immolare non detrectasset.

Sed sicut omnia sub Sole fatis subiecta sunt, sic etiam

Gün-

GÜNTHERVS, qui perfatalem & infelicem corpori casum mortales deseruit.

Magnorum , ac utilitati publicæ salutarium operum satorem *divos generare labores* dicimus ex adagio. Non minori encomio digni censemur , qui ad clavum sedentes , providè & sapienter administrant Rempublicam , præsumtque Populo , quām qui eundem contra hostium incursus armis generosè propugnant ac tueruntur.

Georgius Sigismundus.

Providi & sapientis administratoris eximium sanè exemplum nobis exhibet *GEORGIVS SIGISMVN-*
DVS COMES ab HERBERSTEIN, Divi Cæsaris *LEOPOLDI* Camerarius qui ab anno post millesimum & sexcentesimum quinquagesimo sexto , apud Regimen Ducatus Styriæ Ordinarius , ab Universis Statibus Carinthiæ Designatus , jam per viginti quatuor annorum cursus , gloriose subsistit , & quæ ad conservanda Jura Patriæ , ad emolumenntum publicum , tuendamque libertatem pertinent , apprime intendit , semperque sibi præsens , cooperatur pro virili , divosque generat labores , quod proprium indigitat nomen *GEORGII SIGISMVN-*
DI

DIVOS GIGNIS, SURGEMUS.

*Dum GIGNIS DIVOS, addunt SURGEMUS
 honores,*

Est etenim merces æqua laboris honor.

Alexandrum Severum inter animi sententias habuisse referunt fasti , tales ad Reipublicæ gubernacula pro bono communi adhibendos esse , qui munus sibi commissum æ-

quà bilance, proprià ingenio suffragante prudentià adminis-
trarent, ac officia ultrò oblata, inviti potius in se recipie-
rent, quàm qui munia denegata, impulsu illicitæ ambitio-
nis affectare tolerent: Unde Agesilaus Rex ministros suos,
quos administrandis salutis publicæ conditionibus ac offi-
ciis delegerat, potissimum hortatus est, ne tam pecuniæ
quàm virtutis opibus ditescere niterentur.

In GEORGIO SIGISMVNDO hoc ipsum ob-
servatu dignissimum est, eundem non unquam illico mo-
tu conatuque ambiisse honorum gradus, sed honores **GEO-
ORGIVM SIGISMVNNDVM**, qui haetenus in poli-
tico suæ Patriæ statu, rerum commissarum exornavit mu-
nia, eademq; vicissim gestorem officiorum. O magnum
Styriæ Ornamentum!

Cæteras inter virtutes quibus eminet, non postremum
sortitur ordinem beneficentia ac liberalitas in egenos, quæ
in cœlo, secundùm effata Guevarræ, comparat & auget di-
vitias.

GEORGIVS SIGISMVNDS, quem naturæ
benignitas ac facilitas genii diversis dotibus reddidit spe-
ciale, qui ob eximias indolis qualitates, à summa
M A F E S T A T E Orbis Christiani, ampliores honoris
meretur gradus, quos etiam successu temporis per ulterior-
em promotionem (uti illustria pollicentur talenta) asse-
quetur; cui Fortuna in ampliandis opibus, adminiculan-
te præsertim industriâ, suum minimè denegavit officium,
manum suam aperit inopi, ut impletat benedictione, ac
ubertim largiatur de rore cœli & pinguedine terræ.

Sic divos gignit thesauros perque manus pauperum,
in cœlestè transportat Gazophylacium.

The-

*Theſaurum dives meritis præmittit ad aſtra,
Apponitq; ſuum cor pietatis amans.
Sola feret, quæ dona dedit; quæ cauſa Datoris?
Spiritus ut levior poſſit ad aſtra ſequi.*

Divina providentia hunc indefeſſum Styriæ Cooperatorem & egentium benefactorem, pro bono Patriæ diu conſervet in columem, & roboret vires in Nestoream ætatem, donec aliquando plenus meritis, laborum ac annorum ſatur, ad ſuum, quem indies præmittit, theſaurum transferatur!

Omnes Fortunæ motus, rerumque mutationes, leves censentur, ſi in virtutis venerint certamen.

Erasmus
Fridericus.

Præclara ſunt ingenia, quæ gloriæ præmio incitantur ad ardua.

Sublatâ ſtatû cognitione ac ſcientiâ, omnis tollitur ratio rerum benè gerendarum.

ERASMO FRIDERICO COMITI ab HERBERSTEIN, Domino in Guttenhaag, &c. nunc Seniori à quatuor lustris Delegato, ac abſente Capitaneo, Administratori Præfecturæ amplissimi Ducatû斯 Styriæ, antequām virilem asſequeretur ætatem, Fortuna diuersos objecit motus ac varietates, quas animosus juvenis ſolâ munitus virtute, eluſit gloriosus in certamine victor.

In equeſtri exercitio diſcretam adhibuit industria, ut præcelleret; cuius ingenium ex iſtinctu generofæ naturæ ſemper ducebatur ad ardua, invitante præmio conſequendæ gloriæ.

Q. 3

Et

Et ne deesset aliquando rerum præclarè gerendarum ratio, imbuit indolem cognitione scientiarum, quam honoris maturam subselliis, benignissimus Cæsar **LEOPOLDVS**, aureâ ornavit clave.

DEI fungitur munere, qui succurrit miseriis, ac depresso egestate.

Beneficia in religiosos Ordines derivata præmittimus ad patriam.

Collata sacris ædificiis ornamenta donamus superis, divinæ munificentia recepturi ubertatem.

ERASMVS FRIDERICVS, quem è transpositione nominis proprius affatur genius, **FERARIS, MVRIIS DECVS.**

& inter vivos adhuc veneramur, sanè liberalis in egenos, munificam aperit manum viris quâ emeritis, quâ religiosis, & secundum Lævini Torrentii, olim Leodiensis Archidiaconi, & celebris Vatis elogium de S. Henrico Imperat:

FERT MVNUS ARIS, INSERENS MVRIIS DECVS.

Non opus habet buccinâ famæ, cui virtus canit classicum. Canit **ERASMO** ob præstantes animi dotes, quas benigna mater natura nascenti sociavit in Natalis xenium, & ad maiores honores destinata expolivit in doles.

Expressam Majorum imaginem non in aurea tabella, sed in æmulationem gestorum gestat in ipso pectore.

Loquentis sermonem attemperat prudentia, illustrat frontis serenitas, quæ benevolentia radios devolvit in merentes.

Per

Per comitatem propensas sibi devincit voluntates,
non diminuens captivarum libertatem.

Viri generosi ac constantis est sinistram eludere sortem, nec perturbari infestris rerum eventibus.

ERASMUS æquo vultu ac animo, tam novercantis insultus, quam blandientis Fortunæ sustinet favores, cum mens opulenta virtute, sit extra sortem.

Germano candore, quem nunquam violari voluit, sibi conciliat gratiam, cursum vitæ cum temperamento discretionis sic instituens, acsi in omnium oculis assiduè versaretur.

Ut agenda prosperum fortiantur effectum, duce providentiâ, comite consilio aggreditur.

Seipsum vicisse, non est postrema victoriarum.

Generosus animus non assivescit servilibus operis, super affectus prætendens dominatum.

Ut *ERASMO* famularentur, rationi mancipatis certas præscripsit leges, non sine censura sapientiæ, cum se, suasque passiones moderari posse, noverit esse glriosum.

*Dum sua velare regit, bene FVLGET CÆSARIS
ASTRVM,*

*Naufraga non puppis, cui favet AUSTER,
erit.*

Complures *AUSTRIA* Cæsarum genitrix de votos numerat Ministros, non omnes tamen ingenio, pares que genio.

Ut

Ut flamma examinat aurum, sic infestra fors fidelitatem, quam in Camerario Cæsar is ERASMO FRIDERICO semper reperit justam pondere ac pretio, vi fortitudinis & constantiae solidatam.

Ignorat infidelitatem animi generositas.

Leve curarum pondus amanti, laboris præmium, nominis immortalitas.

*Mens ERASME tua est sicut Marpesia Cautes,
Cautus ad imperium Cæsar is esse soles.
Solsequium, fers obsequium, gerit Austria Solem,
Solis ab intuitu pectoris ardet amor.*

Joannes
Gothardus. *Virtute ac generositate ultrò ad mortem progredi, competit heroibus.*

*JOANNES GOTTHARDVS COMES
ab HERBERSTEIN, olim sub Regis Hispaniarum exercitu Centurio, dein supremus Vigiliarum Praefectus, nunc Pro-colonellus Ducatus Styriæ, ad honoris surgit emporium, non ex inani ac ambitione illicita, sed à teneris innutritæ generositatis instinctu, quo ultrò ad gloriosam mortem progredi minimè aversatur.*


Affuetus adversis animus nil veretur.

An plus ultra progressurus sit JOANNES GOTTHARDVS. proprium respondet nomen, IS HONORANDUS AGET.

Joannes Antonius. *In eadem classe honoris ac promeritæ navigat gloriæ JOANNES ANTONIUS COMES ab*


HERBER STEIN

Wie es von septentriōneſchen wirdt



HENRY'S 211

PRINTED IN U.S.A. BY THE AMERICAN PRESS



ab HERBERSTEIN, glorioſiſſimi Imperatoris
LEOPOLDI Camerarius ac Colonellus. O ANNI
NATVS SENIO! JOANNEM ANTONIUM
 natum eſſe ſenio, indicat anagramma nominis.

Unicus eſt, at perpetuus annus gloriæ, cui inſeruntur
 viri iuſtres, inſcribuntur heroes, ac fideles Miniftri
SUPREMÆ terrarum MAFESTATIS.

Hujus anni ſenio unā cum *JOANNE GOT-*
HARDO COMITE ab HERBERSTEIN
 natus eſt *JOANNES ANTONIUS.*

Sed cūm ante obitum nemo beatus, præſcindo filum,
 non tamen absque omine vates.

Inſculpet virtus Heroum nomina Cedro,
Grataq posteritas census honoris erit.

Nullum theatrum Orbis, majus eſt conſcientiā.

Magnō competit ingenio, mentem revocasse à ſenſi-
 bus.

Sigismun-
 dus
 Christopho-
 rus.

Mifer eſt obſcuratæ virtutis famulatus ſervientis volu-
 ptati. Hæc tria ſunt theorematæ, quorum feliciffimus e-
 rit Interpres, *SIGISMUNDVS CHRISTO-*
PHORVS COMES ab HERBERSTEIN,
 Ratisbonensis Ecclesiæ Canonicus, & Præpoſitus Laba-
 cenæ.

Conſcientia *SIGISMUNDI CHRISTOPHO-*
RI, erat olim in adolescentia roſetum, in quo Diuinæ
 Majestati producebat diuersos ſuavis fragrantiaꝝ flores, hu-
 mili-

R

militatis nimirum violas, primitias sui Veris: in ætate juvenili, variarum virtutum centifolia, morum benè ordinatorum tulipas, ac puritatis lilia, quæ nec in virili defecrunt ætate, cùm bonus sit hortulanus.

SIGISMUNDVS, cùm à DEO, eximio præditus sit ingenio, mente à sensibus, ne cum iis male sentiret, revocata, aversatus est miserum obnubilatæ virtutis, pessundatæ voluptati servientis, famulatum.

Præclara sunt, non diffitemur, ingenia, quæ humanæ gloriæ præmio invitantur ad ardua; sed præclariora, quæ contempto bullatæ gloriæ supercilie, desertis dignitatum titulis, ac Fortunæ donis post se relictis, ad exemplum **SIGISMUNDI CHRISTOPHORI**, Ecclesiasticum ingressi statum, ad cynosuram canonum vitam instituendo, asperam intendunt sulcare semitam, ducentem ad Electorum triumphos.

Quicunque non novit **SIGISMUNDVM CHRI-**
STOPHORVM è transpositione literarum agnoscat,
quòd sit, **CHRISTO DIGNVS, SOPHIS MURVS**.
Christo dignum esse, maxima censetur dignitas, quam pa-
sim divina comitatur gratia.

Sophis, seu sapientibus murum esse, non admiretur quispiam, cùm ipse sapiens, ac sapientis sit, nil aggredi, quod non sapiat salem, ullamque pariat causam serotinæ poenitidini.

Salis ac Urbanitatis magna est vis & utilitas.

Ab urbanitate **VRBANVS** debuit nominari ad fons regeneracionis **SIGISMUNDVS**; sed & inditum non displicet nomen ominosum, corporis ac animæ expri-
mens

mens munditiem , immo secundum Germanos à prima syllabarum victoriam .

Christo dignum , sophisq; murum esse **SIGISMVN-DVS** , apertè deducemus .

Cui Mundus est solitudo ac exilium , illi Paradisus & patria cœlum .

Quid aliud est abavorum avorumque deseruisse benè partam seculis gloriam , quām in Ecclesiastico statu , à Mundi pompa multū alieno elegisse solitudinem ? in qua uni DEO , animæque saluti vires impendimus .

Nulla remedia quæ vulneribus adhibentur tantum generant dolorem , quām quæ sunt salutaria : sic eadem per corporis ac sensuum suppressionem sunt idonea comparanda saluti , quæ delicatæ carni eveniunt dolorifica , attamen conducunt ad spiritus emolumentum , animæque meliorem valetudinem .

Removenda est rerum illicitarum cupiditas , quando ad majora nati sumus .

Major est virtutis victoriæque jucunditas , quām percepta non indulxæ voluptatis .

Verū nihil est tam sanctum , quod non profanari , vel tam munitum , quod non expugnari possit .

In hoc stadio **SIGISMVN-DVS CHRISTO-PHORVS** se Christo dignum ostendit filium , per cuius suppetias evitat incitamenta voluptatis , constrictis freno sensibus : illicita enim voluptas est animæ pernicies , quæ adversatur virtuti , ac naturam boni , perperam imitando , adulterat .

SIGISMUNDVS Christi crucem suscepit in humeros, & ad impetrandum solidam mentis tranquillitatem propriam divinæ conformavit voluntati.

Parvō natura satiatur, quæ à multis delicatè pro vermibus enutritur.

Nimia epularum affluentia torpente reddit spiritum, ac diversitas ferculorum, morborum generat varietatem.

SIGISMUNDVS in medio eligit viam, omnia dispensans è rationis moderamine; nec parcitatem admittit, neque luxum, ad conveniens suo statui temperamentum.

Nunc ad alterum. Sapiens amat fovetque sapientes **SIGISMUNDVS** sine sophismate, ac eximius Musagetæ nunquam Musis, Idalias excipe, præcludit aditum; immò per singularis benevolentiae, manusque liberalis beneficia allicit, & instigat marcentes genios ad imitandum studia sapientiæ, quibus imbutos nutrit ac tuetur.

*Deponjata tuæ cum sit sapientia menti,
Et DIGNUS CHRISTO, MVRUS &
estò SOPHIS.*

Ferdinan-
dus Erne-
stus.

Corpus nutrituralimento, generosus animus honore.

Non desideranda est honorifica memoria, nisi per excellentiam ingenii, aut per heroicæ indolis exercitos actus sit promerita.

Eximiam Virtutem sponte sequitur suum decus.

Omnia priùs consilio, quam armis experiri, sapientem decet.

His intentioni nostræ præmissis, jam monstravimus dīgito

gito **F**ERDINAN**D**VM ERNESTUM
CO **M**IT**E**M ab HERBERSTEIN, LEO-
POLDI Cæsaris Consultorem aulæ bellicum, Came-
 rarium ac Colonellum peditum: cuius generositas per
 actus heroicos ambit gloriosam sui memoriam; **Qui**
 haec tenus in bellis, nunc per sanctiones Pacis ad finem devo-
 luti stadio, omnia prius ad stateram sapientiae maturique
 judicii æquilibrium, consilio, quam armis experiri voluit,
 pedestrum turmarum Antesignanus, è cuius nominis pro-
 filit involucro **D**VCE**N**S **T**ERRES **F**URI**I**S.

Ex ungve cognoscimus leonem, è penna Aquilam.

Leonem egit in bello, armatas dicens copias, terrensq;
 furiis hostes, impetu scilicet, ac insultu athleticæ indolis.

Aquilam in aula; bellica subministrando consilia ex
 ingenio Aquilino.

In belli stadio satis est egisse leonem,

In curis Aquilam, quas dedit aula Tibi.

Non tantum curret tua fama, simulq; volabit,

*PERPETVVMq; tuum MOBILÈ nomen
 erit.*

Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna
 despiciens.

Joannes
Franciscus.

Qui suis servit cupiditatibus, non gaudet libertate.

Tam profuit Reipublicæ nasci Catonem, quam Scipionem; hic enim cum hostibus bellum, ille cum vitiis
 gessit.

Plurimi tanquam semper victuri vivunt, nunquam illis innata occurit fragilitas.

Ex his dissonantibus harmoniacum in se exhibet concentum **JOANNES FRANCISCUS COMES ab HERBERSTEIN** Canonicus Cathedralis Ratisbonensis Ecclesiae.

Ex antiqua Baronum, & Comitum familia ducens originem, magnum ostendit animum, qui magna despiciens in Ecclesiastico statu non cupiditatibus, sed soli DEO servire statuit, ut aurea gauderet libertate è conscientia stipendiariæ virtutis oriente conscientiâ.

DEUM in creaturis venerari didicit, ex his leviter attollens spiritum ad contemplationem Divinæ Majestatis.

Quicunque suis famulantur affectibus, mediastinis non dissimiles, depravatae sunt naturæ mancipia.

His superior **JOANNES FRANCISCUS**, magistræ rationi, jam dudum sapiens, carnales substravit affectus, quibus in servitutem recollectis, spiritualiter triumphat.

Bellum gerit, sed cum vitiis, radicitus è naturæ gremio extirpandis, suæque non immemor fragilitatis agnoscit, neminem unquam mortalium aberrasse à sepulcro.

Hæc posuit fundamenta spiritualis Architecturæ **JOANNES FRANCISCUS, IN EO NUNC FAS SACRIS**, per nominis anagramma.

Magnum certamen magnum meretur præmium.
Legitimè certanti imponetur corona gloriæ.

Integri-

103

Integritatis triumphus est, labendi commoditatem evitasse.

Qui prius altioribus studiis impendit robur ingenii,
Nunc ad infimam descendit classem humilitatis, ut multum sapiat. Sic est!

Überiora ferunt valles, brevioraque montes
Gramina. multum humilis mens sapit, alta parum.

Omissis omnibus hoc unum agit, quo indies in schola humilitatis se facit perfectiorem.

Violæ sunt primitiae Veris, has colligit in Autumno.
In humili spiritu residet sapientia.

ANCILLA DOMINI speculum est imitatori demissionis.

In hoc speculo speculatur *JOANNES* in solitudine Magnalia *DÆI*, quæ *VERBVM* in ancillarishumilitatis utero *CARO FACTUM*, attulit secum è specula immensa Majestatis.

Sic è valle datur ascensus ad summam altitudinem.

Olim cum *MARIA* stetit Joannes sub Cruce *JESU* expirantis.

JOANNES, JESV ac MARIAE amantissimus, non stat sub cruce, sed humilem se posternit saepius ad Christi plantas sanguinem distillantes cum *MAGDALENA*: ut aliquando audiat vocem Christi dicentis ad Matrem, *ECCE FILIUS TVVS*. Sub cruce se *MATRI*, qui se sociatque *JOANNI*, Audiret hanc vocem, *FILIUS ECCE TVVS*.

Fidelitatis

Henricus.

Fidelitatis munus est prosperitas.

Conscientia rectæ voluntatis, maxima est consolatio rerum incommodarum.

Per magnanimos actus itur ad sublimia.

Potentem dixeris Regem, qui secundum legum ac sapientiæ stateram, se regit, & gubernat.

Prædicta theoriæ quaterna numero theorematæ redigit in praxim *HENRICVS COMES ab HERBERSTEIN*, Ordinis Eques Teutonici, bellique Cæsariani Capitaneus.

Si fidelitatis munus est felicitas, cùm sæpenumerò obnubilata, imò eclipsim passa fuerit, fidem violâsse censi posset *HENRICVS, HINC REVS.* Minimè.

Fidem equestri obstrictam Instituto per solitum antiqui Ordinis juramentum, conservavit integrum, &, quantumvis externa felicitas subinde obducta caligine, non semper serenato arriserit nultu, (ut patebit ex subsequatura rerum serie) interna tamen, quæ in rectæ voluntatis consistit conscientiâ, rerumque incommodarum primaria est consolatio, remansit constans ac immobilis, per actus magnanimos ad honoris progressum deducentes, confirmatam.

Postquam *HENRICVS* in Pomerania, sub Generali campi Ducis Generali legato ac Locumtente, æternâ laude dignissimo, *WOLFGANGO FRIDERICO COMITE COB.* Principi Electori Brandenburgico, adversum copias Regis Sveciæ in supprias missa, in expugnatione

pugnazione Anclami heroicos ostendisset conatus, inversâ postmodùm in Insula Rugia sub armis Regis Daniæ variabilis Fortunæ rotâ, cum compluribus à Suecorum prævalente potentâ captus, Sundam traductus est, ubi propriis sumptibus ac illustri exemplo, captivitatis complices ad fidem *S U M M O* servandam *PRINCIPI* roboravit, donec cum aliis soluto è propriis lytro, pristinæ restitutus est libertati. Posthæc ad Hungaricam progressus expeditionem, suæ fidei constantiam optimè gestis confirmavit.

Laureata indoles non veretur fulmina: nec unquam in bello aversatus est *H E N R I C V S*.

*Magnanimus quis sit, virtus probat ardua, duros,
Fortis ad insultus, nec violata fides.*

Si potentem censueris Regem, qui secundùm sapientiæ ac legum cynosuram se regit & gubernat, en *H E N R I C V M*, vivum exemplar prudentis affectuum moderatoris, & passionum victoris, quas effecit mancipia rationis.

Per viam arduam ad trophæum, symbolum est Ducis Sabaudiæ Victorini.

Ad trophæum honoris non dicit via strata rosis, sed intricata dumetis, quam à juventutis ætate florida elegit *H E N R I C V S*, ut quandam è spinis maturas colligeret rosas.

D E O, S U M M O P R I N C I P I, I M P E R I O ac suo Ordini devotus est *H E N R I C V S*, *H U N C R E I S* constituit benignitas in solatium, non difficile impetratu apud thronum Austriacæ clementiæ.

S

Æmu-

*Æmulatio virtutum non ingloria , ad symbolum
Alexandri Farnesii Ducis Florentiæ.*

*Æmulus eſſe ſtudet magnorum quando virorum ,
Gloria ſcribentis dicit a vita manum.
Sangvine virtutis calamo tribuente liquorem ,
Membrana ingenii candida,candor erit.*

HENRICVS, qui ſegnitiem viris indignam illuſtribus averſatur, in negotiis laborem, fortitudinem in adverſis, in rebus tractandis industria, in conficiendis dexteritatem, ac in providendis adhibet conſilium.

Qui ſentit onus, ſentiat & commodum.

Tantum tribuendum eſt corpori, quantum ſufficit conſervandæ valetudini : intemperantia enim innumeram producit vitiorum colluviem, ad conflictum animæ.

Et ſicut temperies nubium, ſerenitatem; ita temperies confortandi corporis, animo gignit tranquillitatem.

Hanc ut continuam ſoveat *HENRICVS*, tantum attribuit corpori ſine luxu, quantum neceſſe eſt ad vires ſolidandæ valetudinis.

Caduca ſunt Fortunæ ac temporum munera : immortalia verò ingenii ac virtutis , quæ *HENRICO* non transitoria pollicentur.

Avarus nullâ re ſatiari potheſt, niſi terræ acervo , dum infertur ſepulcro.

Abominari afflavit *HENRICVS* hunc abortum naturæ, cuius Soli conformis genius augmentat per liberalem manum, ac in vicem gratitudinis meretur amorem.

Amari

Amari jucundum est, dummodò nil insit amari.

Dum serit HENRICUS dives virtutibus aurum,

Ominor, in cælis aurea messis erit.

Cum *HENRICO*, quem Providentia Cæli ad ampliores honoris ac gloriæ progressus conservet, generosumque spiritum divinæ roboret influxu gratiæ, *PARTI PRIMÆ* imponimus terminum, in qua non secundum ordinem diversarum celeberrimi Stemmatis linearum processimus, nil minus tamen allegatos Equites, Barones, ac Comites promiscuè in sua secula, ad quorum successionem primaria reflexio facta est, dispartitos, non observatâ ascendentium aut descendenter methodo, candido affectu exhibuimus.

Hactenus Heroes varios celebravimus, altum

Herbersteiniadum gloria fecit iter.

Ulterius crescit magnos latura Nepotes,

Linea quos celebris continet ampla Domus.



Pars Secunda

Monimenti Historico - Panegyrici
exhibit lineam ab HERBERSTEIN, à
possessione arcis Herbersteinianæ in Sty-
ria derivatam, ac ordinatam dedu-
cit seriem successionis.

Andicione satis ex prævia *EQUITVM, BA-*
RONVM, COMITVMq; deductio-
ne constat, anterioribus seculis apud plerasq;
antiquissimæ, nec non per Heroum res præ-
clarè gestas famosissimæ Prosapiæ lineas, magnos viguisse
Ministros *CÆSARVM, REGVM, ac ARCHI-*
DUCUM DOMVS AVSTRIÆ, & quâ in Ec-
clesiastico, quâ Politico, tam Aulico, quâm Militari sta-
tu, amplæ dignitatis illustres viros, Rerum publicarum, ac
Ducatum Præfides, ad varias longè remotas regiones ac
regna expeditos in arduis Imperii, & salutis publicæ nego-
tiis Legatos, & non inglorios Martis Alumnos, bellique
Duces floruisse; adeò sūt vix ullum in quounque statu of-
ficium majoris præminentiaæ, minoribus non attentis re-
censeri possit, in quo stemma hoc longè latèque celeberrim-
um non fixisset pedem, ac impressa meritorum vestigia
reliquisset seris nepotibus ac posteris, in æmulationis e-
xemplum, ad imitandum benè actorum seriem; ita etiam
ut sexus debilior (quem in succincti operis compendio,
ad evitandam prolixitatem non attigimus) ejusdem Nomi-
nis ac Stemmatis, apud Imperatrices ac Reginas in summis
dignitatum, supremæ in aulis Præfecturæ, aliarumque
fœmi-

106

fœmineo statui competentium functionum gradibus , in sublime ascensum fecerit , suamque fidem , ac industriam rerum dextrè gerendarum luculentè demonstrarit.

Et licet priora , quæ numeravimus secula , satis fœcunda fuerint non sat prædicandæ propagini , ad *BARONVM COMITVMq; dignitatem* è meritis sublimatae ; attamen instans in quo degimus seculo , anteriora fœcunditate plurimum antecessit , ut linea hæc Comitum , quæ hereditariam *SEDEM* in Styria *HERBERSTEINIANAM* à compluribus possedit seculis , ac prima meruit Comitum præminentiam , singulari clareat prærogativâ ; adeòque ut vix ullus hujus lineæ produci possit , qui non in Ministerio Imperatorum , Regum , ac Archiducum Austriæ , vel in belli stadio inter Bellonæ primipilos , per benè gestorum merita , magnæ æstimationis impetrasset nomen , è quorum numero adhuc superstites in diversis honorum gradibus sunt constituti , qui ad ultius propagandam Stemmatis claritatem summâ laborant industriâ pro *DEO, CÆSARE, ac IMPERIO,* & imposterū (si visum Superis) usque ad consummationem seculi impendent vires , vitam & sanguinem , ad maius incrementum *GLORIOSISSIMÆ DOMVS AVSTRIACÆ* , suæque Patriæ emolumenrum ac salutem .

Arcis Herbersteinianæ primum locasse fundamentum in Styria *HERULOS* post quatuor restitutæ Salutis secula , inter Prolegomena hujus operis assertum est .

Hujus vetustissimæ fabricæ sedes , iis quæ successerunt , situ posterior , adhuc in hodiernum diem integra , in tantæ antiquitatis documentum conservatur , quæ ab *HERULIS*

LIS HERVLSTEIN olim nominata est: Sed quia moderni seculi Possessoribus non est sat commoda sedes, ferè inhospita permanet, quæ tamen secundūm traditionem **SIGISMUNDI BARONIS ab HERBERSTEIN**, celebratissimi diversorum Cæsarum Legati, unà eademque ætate antiquitùs septem hujus Stemmatis Equites simul receperat.

Non miremur, antiquam hanc **HERVLORVM** structuram sat rudem sed solidam, pro recipiendis septem Equitibus, & eorundem familiâ fuisse sat capacem: Antiquitas enim non tricliniorum venustatem ac amplitudinem secundūm hodiernæ Architecturæ emensuratos amabat limites, sed exili solùm contenta tugurio, in quo secura lateret ab incursionibus adversariorum, ab injuriis cœli, brumalique defensa frigore, suis indulgebat rei domesticae curis ac laboribus.

Nec vanitatum apparatus, multamque velandi corporis supellecile illa simplex ætas magni æstimavit, cùm referente eodem **SIGISMUNDO BARONE**, septenarius ille numerus Equitum, unicum duntaxat crurale vestimentum in communitate possederit, novemque ejusdem equestris Stemmatis filiæ, ex uno, (ut verba sonant) pallio, solennitatem celebrarint nuptiarum. Utrum ex ejusdem pretio, vel à se invicem mutuatæ fuerint, incertum est.

O felix seculum, quod tam exiguis constitit sumptibus ad propagationem Familiæ!

Nostrâ ætate (ulterius disserendo progreditur **SIGISMUNDVS**) Unicus nostræ prosapiæ, non septenis crura-

107

cruralibus tegumentis seu femoralibus, novemque palliis contentus vivit; adeò se mutarunt temporum rerumque vicissitudines, ita ut nostro si viveret seculo præfatus *SIGISMUNDVS*, ad moderni luxus affluentiam obstupesceret.

Et prouti quodvis seculum admittit mutationem statùs augmentumque rerum; sic etiam antiquissima *HERV-LORVM* sedes, quam ob antiquitatem, non verò ob localem commodamque dispositionem veneramur, successu temporis, suâ tamen reservatâ inhospitâ statione, in amplam succrexit augusti ædificii molem, ad normam Architecturæ per tabulata ordinatim dispositam, quam hac ætate Director Intimi Styriæ Consilii cum sua linea possedit & adhuc possidet per nepotem suum *JOANNEM GEORGIVM COMITEM ab HERBERSTEIN*, ut legitimum Successorem.

Hanc continuâ successionis serie post primum *OTHONEM*, à quo duodenæ numero lineæ suam sortiuntur derivationem, sub præsidio *MATRIS ADMIRABILIS*, cuius effigies in fastigio turris pro sibi devotis agit excubias, jure legitimo ac hereditario tenuit hæc linea Stemmatis, quam ob ortus ac Natalis sui primordio cùm *DIVINI NUMINIS*, tum *DEIPARÆ* cultui semper devotissimam fuisse, nemo dubitet, siquidem è gremio Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ exciderit nunquam, atque ut palam suæ religionis, ac cum latte materno innutritæ Catholicæ fidei declararet constantiam, in perpetuam sui Stemmatis Protectricem elegerit sibi *REGINAM CÆLI ac TERRÆ*, quæ illud etiam sub alis suæ maternæ clementiæ benigno quo solet affectu fovet ac tuetur.

Nunc

Nunc declaratâ **HERBERSTEINIA
NÆ SEDIS** in Styria origine, illiusq[ue] legitimis per successionem hereditariis Possessoribus, ad priora aliquantum secula, nempe ad duodecimum, ac quæ successere, revertamur, ut post antiquitatem originis, primamq[ue] Stirpis propaginem rudibus obnubilatam seculis, ab OTHONE (cujus Majores involvit antiquitas,) à quo etiam reliquæ lineæ derivantur, hanc lineam ordinatâ successionis serie exponamus.

Ebona radice, bonus crescit surculus, arbor è surculo, ex arbore non dissimiles rami, è ramis boni pullulant fructus.

Otho.

OTHONEM ab HERBERSTEIN,
Propagatorem Herbersteinianæ Arboris, monstramus dìgito, variarum olim ornamenti virtutum, quas vectigales atque stipendiarias habuisse, in primordio primæ partis effatum est, insignem ac venerandum: cujus propensa in egenos liberalitas irrigavit surculos, è quibus postmodum procera Arbor illustrissimæ Prosapiæ succrevit, suisq[ue] racemis in diversas regiones & provincias extensa, ubertimq[ue] dilatata, sfavissimos parturiit fructus, quam DEO protegente ad ultimam ætatem non degeneres prolataram speramus.

Præmemoratus OTHO quatuor fuit filiorum parens, ut jam supra dictum est,

Richardus,
Georgius,
Ulricus.
Otho.

**RICHARDI,
GEORGII,
ULRICI &
OTHONIS, EQVITVM ab HERBERSTEIN,** quorum secundus, reliquis absque pro-

108

Seculum Christi decimum tertium & quartum. 145

progenie vitâ defunctis, mansit superstes ad propagationem
Stemmatis.

Al superstite OTHONIS filio, GEORGIO ab HERBERSTEIN, quem aurea illius seculi ætas, ob decus eximiæ honestatis, virtutisq; modestiam HONESTVM nominabat EQUITEM, processere filii HENRICVS Henricus.
E OTHO. Otho.

HENRICVS ab HERBERSTEIN, cum ANNA GÜNTHERI ab HAAG filiâ, anno trecentesimo supra millesimum sexagesimo nono, inivit quidem conjugium, sed improle, per quem emortuâ conjugi, quum familia de Haag radicitùs expirasset, Insignia Dynastiæ de Guttenhaag (ut inter prolegomenta commemoravimus) in hoc Stemma translata sunt; decessit itaque absque ulla progenie.

Ab OTHONE verò HENRICI fratre uterino, qui promerito vulgi elogio, ob humilitatis præstantiam, HUMILIS audiebat EQUES, processit

GEORGIVS ab HERBERSTEIN, FRIDERICI QVARTI Imperatoris Consiliarius, qui è fœcundo accepit thalamo ANTONIVM, Capitaneum Fürstenfeldensem & JOANNEM, qui ob generosæ indolis actus, ac præclarè gesta FORTIS EQUES palam nominatus est. Supra communem proceræ fuit staturæ: ab hoc procero atque illustri viro, ob publicum encomium celebratæ fortitudinis, moderni hujus lineæ Comites, pro nepotibus ac posteris, JOANNIS gaudent prænomine.

FORTIS Herois ossa insolitæ magnitudinis, in æde sacra antiquioris fabricæ Divi Joannis, è regione arcis Herberstei-

T

146 Seculum Christi Decimum sextum.

bersteinianæ olim reperta sunt, cuius memoriam in lapide, unâ cum antiquis Insigniis, supra cassidem alam, & in clypeo Contignationem exhibentibus, lateri infixo invenies.

Fridericus.

Tertium habuit filium præmemoratus **GEORGIVS FRIDERICVM**, qui **MUNDI AMICVS** communis ferebatur suffragio, solusque promovendo Stemmati masculam post se reliquit successionem, duos virtute non degeneres filios

Bernardinus.

BERNARDINVM BARONEM ab **HERBERSTEIN** præclarum militem, Consularem Cæsaris, ac Pro-Capitaneum Styriæ, &

Georgius.

GEORGIVM BARONEM, eximium belli Heroem, **MAXIMILIANI PRIMI** Cæsaris adversum Venetos Generalem campi Ducem, qui è fertili quidem thalamo plures produxit filios, at geminos solummodo reliquit propagando Stemmati, nimirum

Bernardinus.

BERNARDINVM BARONEM, **MAXIMILIANI PRIMI** Consiliarium, Camerarium ac Supremum stabuli Præfectum, &

Georgius
Andreas.

GEORGIVM ANDREAM BARONEM, Archiepiscopi Salisburgensis Intimum Consiliarium & Camerarium.

Joannes Gu-
lielmus.

BERNARDINVS è fœcundissimo se connubio sex numero filios obtinuisse, beatum se æstimabat; præsertim, quum experiretur, eosdem virtuti ac pietati fuisse genitos, nempe

JOANNEM GVLIELMUM

70-

JOANNEM GEORGIVM,

Joannes
Georgius.

JOANNEM BERNARDVM Salis- Joanes Ber-
burgensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicum. nardus.

JOANNEM FERDINANDVM, So- Joannes Fer-
cietatis JESU Rectorem, ac Præpositum Domûs Professæ dinandus.
Viennensis,

JOANNEM CAROLVM Ordinis Divi Joannes Ca-
Patriarchæ BENEDICTI Religiosum, & rolus.

JOANNEM MAXIMILIANVM, Joannes
COMITES ab HERBERSTEIN; quorum Maximilia-
postremus, præter reliqua brevi post memoranda magnæ
dignitatis munia, Consilii Intimi Directorem egit in Sty-
ria.

Quinque numero priores *BERNARDINI* Baronis
filii sine successione relictâ, mortales deposuere exuvias.

GEORGIVS ANDREAS Baro ab Herber-
stein, *BERNARDINI* frater, quaternam habuit mascu-
lam progeniem, nempe

JOANNEM FRIDERICVM & Joannes
JOANNEM LEOPOLDUM BARO- Fridericus.
NES. Joannes Leopoldus.

JOANNEM GEORGIVM COMITEM, Joannes
dein Principem, ac Ratisbonensis Ecclesiæ Episcopum; ac Georgius.
COMITEM

JOANNEM BERNARDVM, Cæsaris Consiliari- Joannes
T 2 um, Bernardus.

um, Camerarium, & Generalem Castrensis annonæ Praefectum.

Tres natu priores sine prole è vivis decessere.

JOANNES itaque **BERNARDVS COMES ab HERBERSTEIN**, suis fratribus ad cœlum præmissis, per suas masculi generis progenies, Stemma hoc illustre propagavit, ita ut in hodiernum diem hujus lineæ ramus alter à **JOANNE MAXIMILIANO**, alter verò à **JOANNĒ BERNARDO**, utroque COMITE per sobolum progenerationem ad hoc usque seculum derivatus fuerit: qui patrueles, primi totius vetustissimæ ac celebrissimæ Prosapiæ, à CÆSAREA REGIAQUE MAJESTATE in COMITUM præminentiam ob præclarissimè gesta meritaque transportati fuere.

Ad hanc utriusque Comitis successionem pertinent, ex uno **JOANNIS MAXIMILIANI**,

Ex altero latere **JOANNIS BERNARDI** è fertilissimo connubii thalamo progeniti.

JOANNI MAXIMILIANO septem indulxit filios Divina providentia, videlicet

JOANNEM BERNARDVM,
JOANNEM IGNATIVM, &
JOANNEM FACOBVM, COMITES
ab HERBERSTEIN, quibus in tenera ætate immatura mors monstravit viam ad cœlestè viridarium.
 deinceps

JOANNEM FACOBVM, S. Joannis
 Equitem

Joannes Jacobus alter.

Equitem Hierosolymitanum, Cæsaris Consiliarium aulæ bellicum, Generalis campi Ducis Generalem Legatum ac Locumtenentem, ac Generalem limitum Croatiæ,

JOANNÆM FRANCISCVM, Supremum Vigiliarium Præfectum in exercitu Imperiali qui, in expeditione Huugarica adversùm Othomannicæ portæ protervos insultus generosè pugnans, ad Urbem Quinque ecclesiensem gloriosâ morte occubuit.

Joanns
Franciscus.

Adeoq; ad propagandam Familiam bini solum remansere

JOANNES MAXIMILIANVS COMES ab HERBERSEIN, Invictissimi Cæsaris LEOPOLDI Consiliarius Intimus, Camerarius ac Capitaneus Styriæ, &

Joannes
Maximilia-
nus.

JOANNES FERDINANDUS COMES, super Equitum turmas ac legiones, Cæsaris Colonellus, Vir maximæ exspectationis, nisi mors nimium tempestiva vitæ interrupisset filum, qui tamen reliquit post se heredes suæ virtutis, & gloriæ.

Joannes
Fridericus.

Enumeratâ **JOANNIS MAXIMILIANI COMITIS**, non satis prædicandi progenie, ad alterum latus **JOANNIS BERNARDI COMITIS** transgredimur.

JOANNES BERNARDUS COMES, masculi sexûs proles per tranquillum meruit connubium, **JOANNÆM FRIDERICUM, JOANNÆM BER-**

Joannes
Fridericus.
Joannes
Bernardus.

Duos Joannes Maxi-
milianos. **NARDUM, JOANNEM MAXIMILIA-
NUM, & alterum ejusdem nominis,**

Joannes Georgius. **JOANNEM GEORGIUM.** Ecclesiarum Vra-
tislaviensis ac Passaviensis Cathedralium Canonicum,
COMITES ab HERBERSTEIN, qui omnes nimium ma-
ture demortui, numeroque postremus in Romanæ Urbis
Collegio ad S. Apollinarem, vanitatum illecebras dese-
ruit;

Joannes Franciscus Ferdinandus. **JOANNEM FRANCISCUM FERDINAN-
DUM,** Canonicum Passaviensem ac Ratisbonensem,
Archiepiscopi Salisburgensis Consiliarium Intimum, Pas-
saviensis aulici Consilii Vice-præsidentem,


Joannes Fridericus. **JOANNEM FRIDERICVM** Cæsaris Consilia-
rium Intimum, ac Camerarium, &

Joannes Bernardus. **JOANNEM BERNARDVM
COMITEM ab HERBERSTEIN,** gloriofissimè regnantis LEOPOLDI Cæsaris Consilia-
rium Intimum, Camerarium, ac supremum Ducatus Glo-
goviensis cum plenipotentia Capitaneum. De quibus sin-
gillatim, exceptis in parte Primâ jam recensitis, per suc-
cinctam methodum adhuc quædam dicenda restant.
Convertimus nos ergo ad JOANNEM MAXMILIA-
NUM seniorem, COMITEM ab HERBERSTEIN.

Portentosissimum esse Nilum Ægypti fluvium, cuius
ortum ac originem sagax hominum curiositas indagare
non potuit, oculatos habemus testes, qui remotissimas
emensi regiones, in sinu Ægyptiaco diu commorati, chro-
nicam rerum scripsere seriem.

Antiquæ


NEYBERG



Froß Seel

Wolff Geograph. Berlin

Verde



M Antiquæ prosapiæ , quarum Natalem primamque originem obscuram legimus , nihilominus tamen instar torrentis effusæ , per diversas Orbis regiones effluxu dilatantur , non dispare Nilō æstimari poterunt .

An non vetustissimum ab HERULIS derivatum Stemma, *EQUITUM, BARONUM ac COMITUM* ab HERBERSTEIN , (de cuius ortu priori , ac fundamentali origine , pleraque licet revolvamus secula , omniumque quotquot supersunt volumina Historicorum ubiq; gentium , nihil ante HERULOS eorumque sedem HERULSTEIN , posteà HARPRECHT - & HERBERSTEIN nuncupatam , indagari potest) immensi fluminis instar effusum , ac suo cursu diversorum dignitatis graduum , qui gloria sunt virtutis cùm togatæ tum sagatæ auctamenta , in varias regiones ac provincias dilatum est .

Quò remotius decurrent flumina , eò celeriorem pro meandi sortiuntur impetum , tam ad marginum latitudinem , quam ad longitudinem defluxus .

Rupes & saxa , præfertim in montanis Styriæ anfractibus , circa fluentorum margines , quantò duriora sunt , tanto ædificandis Regum palatiis censentur aptiora , pro locando fundamento .

Nilus est STEMMA HERBERTEINIANUM , è cuius non indagabili origine prodiit *JOANNES MAXIMILIANVS senior COMES ab HERBERSTEIN* , translocatis tantisper literis , *NILI SAXVM, ANIMA SENIO.*

Joannes
Maximilia
nus senior.

Bonum omen , nec inane futurum est : ex hoc enim
Nili

Nili saxo, quod est anima senio, secuturæ scilicet nepotum posteritati, seculo nondum absoluto, jam multi prodiere Comites.

Quot verò Heroes olim ex hoc Nilo antiquissimæ Pro-sapiæ adhuc processuri sint, divinæ committimus provi-dentiæ, quæ cuilibet Familiæ certam statuit periodum.

JOANNES MAXIMILIANVS COMES, BERNARDINI BARONIS ab HERBERSTEIN, qui apud *FERDINANDVM SECUNDVM* Cæsarem pien-tissimum, Supremus stabuli Præfectus, aulæque Mareschal-lus suo satisfecit muneri, non degener filius, sub eodem Imperatore, omni ætate summè venerando, non multos sibi pares reperit in aula, quoad indolis ac talentorum ex-cellentiam. Eapropter in Consultorem electus, nil dedit SVMMO PRINCIPI benignissimo consilii, nisi quod cederet in augmentum Imperii, ad Austriae Domus Archiducum, publicæque salutis incrementum.

Maturum judicium matura promit consilia, vegetæ instar arboris, sibi non dispares fructus proferentis.

„ *Adagium erat FERDINANDO, se odio*
 „ *prosequi in Consultorum confessu canes mutos,* &
 „ *tantum respectu personarum alleatos ad ferendum*
 „ *arbitrium: eos verò se peculiari fovere affectu, qui*
 „ *animo candido ac aperto, cum decenti modestia suum*
 „ *proferrent consilium.*

Amantissimus Justitiæ crebrò erupit in hæc verba,
 se

*, se malle mori, quam vel mediastino facere injuriam
, decernendo, citra meritum.*

Secundūm hanc æquitatis cynosuram & Astrææ bilancem , Consultorem atque Camerarium agnovit,
JOANNEM MAXIMILIANVM.

Nil unquam magis luctuosum fidelissimo Cæsarī contigit Ministro,quām, cùm **FERDINANVS** anno post seculum decimum sextum, trigesimo septimo, Augustinianorum Viennæ sacram ædem ingrediens, fortuito casu laberetur, qui fatalis erat : decimā enim quintā Cal. Martii , per accessum febris , Probus Imperator , ut suæ probitatis consequeretur prœmium , exutus mortalitatem , Orbem deseruit, post se relicto Imperii fascibus Filio augustissimo, **FERDINANDO TERZO**, qui, quum anno post trigesimum sexto Ratisbonæ ab Electorali Confessu in Regem Romanorum pridię Cal. Januarii coronatus esset, in Cæsareo successit folio.

Imperator ad clavum sedens, ob jam pridem cognitam **JOANNIS MAXIMILIANI** indolem ac eximia naturæ talenta , probatamque fidem , eum in supremum Styriæ Mareschallum , & ejusdem Ducatū Capitaneum denominavit.

Grande **NILI SAXUM**, super quam basim tanta ædificiorum moles erigitur.

Caput Styriæ , ita suum disposuit præsidium , ut onus salutis publicæ, propriis portaret humeris Atlas Patriæ , ne sub alienis imbecillioribus , communis incolumitatis machina labasceret.

Leo apertis dormiens oculis, providi & vigilis gubernatoris typus est.

Dum alii somno sepulti jacent, Præsidem decet esse vigilantem.

Vigilantia Capitis multas conservavit Respublicas, quas alioquin perdidisset inertia.

Felix regio, felix provincia, cuius Nomarcha datus est providentia ac spiritu sapientiae, qui maturus intellectu sedet ad clavum regiminis.

E contra nimirum infelix populus, cui præsident pueri sine judicio, stultique gerunt dominatum.

Ubi in præsidio exulat prudentia, illic Reipublicæ incolumitas patitur excidium.

Dormiente gubernatore navis, facile infert tempestas furentis pelagi naufragium. Sic est.

JOANNES MAXIMILIANVS

Capitaneus Styriæ, leonem apertis oculorum palpebris dormientem imitabatur industrie, qui posthabito suarum facultatum, propriæque Fortunæ commodo, publicæ utilitatis se impendebat auctario, per æquilibrium temperati rigoris, moderataque lenitatis, unicuique suum tribuendo, candorem in corde, veritatem in ore circumferens, exemplum præstítit, omni seculo suspiciendum atque imitandum. Non humanum dignitatis ac personæ respectum admisit unquam, nisi causarum, quas ad normam justitiae legumque sanctiones patrias, clausis oculis, sed perspicaci judicio, velut nodum dissolvit Herculeum.

Cum

174

*Cum dormiret, erat leo lumine semper aperto,
Dum vigil esset, erant lumina clausa Duci.
In noctem mutata dies sic ordine verso,
Non animus tamen à tramite versus erat.*

Demum Optimus Cæsar **FERDINANDVS**, quum **JOANNEM MAXIMILIANUM** in singulis aulæ, aliarumque illustrium functionum ministeriis, magnæ dexteritatis ac prudentiæ virum agnovisset, Eum Intimum sibi fecit Consiliarium, ac in Styria Consilii Intimi Directorem providè constituit.

*Quem etiam ob comprobatam fidelitatem, grandeisque meritorum congeriem, penes fratrem **JOANNEM GEORGIVM** ac patruelis **JOANNEM BERNARDVM**, **JOANNEMq; GEORGIVM**, dein Ecclesiæ Ratisbonensis Episcopum, Comitum charactere ac præminentia decoravit, ut omnes, quicunque nunc in hujus dignitatis ordine sequuntur, ac per continuationem stirpis olim succedent, Comites nominentur.*

*DEUS, quos in Ordines Religiosos, novit liberales, in iis divinam cumulatim multiplicat gratiam, non tantum longævam vitam prosperosque successus tribuendo, sed etiam cœlestis gloriæ participes efficiendo, quod in **JOANNÆ MAXIMILIANO COMITÆ**, magno virorum Religiosorum Mecænate opulentè elucescit; qui in Styria non procul ab arce Herbersteiniana Augustinianorum discalceatorum Ordini, Divo Joanni sacram appropriavit ædem, & Asceteri-*

um propriis exstruxit sumptibus, ac necessaria vitæ sustentandæ media, è divite penu contribuit, Inter reliqua DEI gloriæ, ac augustissimæ DEIPARENTIS honori devota ædificia, sacellum Lauretanum, atque in alti montis fastigio, sepulcrum Christi, ære proprio erexit, liberalis in homines ac superos.

Eapropter inter alias à DEO indultas felicitates, magni olim Cæsarum Ministri, per ætatem, dum è vivis decederet, propè octogenarii, numerari etiam debet fæcunditas coniugii, quæ omni è latere FELICI è prima illustrissimi generis conjugé septem produxit filios à paterna virtute non degeneres.

Septem sunt dona SPIRITUS SANCTI, in totidem liberos ubertim derivata.

Joannes
Bernardus.

Joannes
Ignatius.

Joannes Ja-
cobus.

Joannes
Josephus.

Joannes
Franciscus.

Joannes
Maximilia-
eus.

Joannes
Ferdinan-
dus.

Primum, *JOANNEM BERNAR-*
DVM timor Domini; Secundum, *JOANNEM*
IGNATIVM fidei scientia; Tertium, *JOAN-*
NEM JACOBVM pietatis utilitas; Quartum,
JOANNEM JOSEPHVM soliditas intelle-
ctus; Quintum, *JOANNEM FRANCIS-*
CVM fortitudo animi; Sextum, *JOANNEM*
MAXIMILIANVM decus sapientiæ, ac
Septimum, *JOANNEM FERDI-*
NANDVM, maturi consilii judicium illu-
stravit.

O felicem tot filiis Patrem! O tanto Patre felices
filii!

Septem

115

*Septem dona DEVS thalami donavit amori,
SPIRITVS his SANCTVS tot quoque dona
dedit.*

*Quatuor atque decem gratis fit gratia donis,
Hec Majestatem gratia Dantis habet.*

Illustris sanguinis generositas nunquam sibi associatam
habet desidiam.

Joannes
Georgius,

Fortitudo animi è factis mensurari debet.

*JOANNES GEORGIVS COMES
ab HERBERSTEIN, BERNARDI
DINI BARONIS filius, ac JOANNIS
MAXIMILIANI senioris, COMITIS
ab HERBERSTEIN frater, non suæ defuit
functioni, olim FERDINANDI SECUNDI
Cæsaris supremus rei argentariæ Præfectus, postmodùm
FERDINANDI TERTII Consiliarius auli-
co-bellicus, Camerarius, ac Colonellus terrestris ad mare
Trestii in Styria. Nunquam marcescit animus genero-
sus, sanguinis enim bullit in eo avorum, ad incitandum spi-
ritum DEO ac Cæsari consecratum, quod ipsum felicissi-
mè expressit optimè gestis JOANNES GEOR-
GIVS, hâc classe dignissimus, qui per Famæ classicum
toti innotuit Obi.*

Monarchæ & Principi bellicas ducenti copias, annulo
fidelitatis, per militare juramentum obstringuntur mi-
litæ.

Joannes
Gulielmus.

V 3

JOAN-

*JOANNES GULIELMVS COMES
ab HERBERSTEIN*, alter filius *BERN-
ARDINI* Baronis, olim Pro-colonellus sub exer-
citu Cæsariano, suâ generositate fideique constantiâ, quâ
natus esset origine, luculentè demonstravit, ut animoso
Antesignano bellica occinserent suffragia è translocato no-
mine

VIGES ANNVLLO MILES!

Sub *FERDINANDO TERTIO*,
supremus Annonæ Castrensis Præfectus, ne penuarii mea-
tus fluerent per anfractus, iisdemque inhærerent, (prouti
moderno sæpius contingere solet seculo) commeatum
tempestivè indigentibus subministrando, adimplevit offi-
cium octogenarius.

Joannes
Georgius.

Nunc in sinu ratis bonæ Ratisbonam velificari inten-
dimus, & quem ante habuimus Comitem, jam sequemur
Ducem.

Nondum Arbor Herbersteiniani Stemmatis in tantam
excreverat altitudinem, donec Episcopali coronatum in-
fulâ viderent coætanei Comites Celsissimum Principem
*JOANNEM GEORGIVM, GEOR-
GII ANDREÆ BARONIS ab HER-
BERSTEIN* filium, à Ratisbonensium Canonico-
rum amplissimo confessu, DEO suffragante, in Cathedra-
li Ecclesia, conjunctis votorum ac animorum calculis le-
gitimè atque canonicè electum in Diæcarios Episcopum;
Binis absentem vicibus per suffragiorum unionem elege-
runt, totidem vicibus respuit dignitatem ab aliis ambitio-
se quæri solitam.

Tandem

116.

Tandem post tertiam electionem sub metu conscientiae admonitus, suscepit quidem, sed tanquam ingens pondus, sepulcro inferendum. Bona sors cecidit super JOANNEM, quem diligebat JESUS.

Oculum DOMINI elegerunt in Oculum Episcopatus, positum supra candelabrum, ut luceret omnibus, ut videret omnes, qui sunt in Domo Ecclesiae.

Benè electus est, non sine afflato divini Numinis **JOANNES GEORGIVS**, quem illustrem sanguine, illustriorem fecit scientiarum varietas, humana-
tias indolis, morum gravitas unita lenitati, nectar facundiæ, ac innumeræ dotes virtutum, quibus eminebat.

AGE, O VIRENS SIGNO ducalis tiaræ & Episcopalis Infulæ! sic Ratisbona per literarum nomi-
nis transpositionem affari poterat suum Episcopum, sa-
crique Romani Imperii Principem **JOANNEM**
GEORGIVM.

Ratis bona ad portum Ratisbonæ appulit onusta be-
neficiorum mercibus, quas munifica magni Principis ac
Præfulis manus in emeritas effusura, suæ liberalitatis ac
munificentiae perennaturam statuit pyramidem, dum
per testamentum amplissimo Capitulo omnem argentum
legaret supellectilem, & heredes totius peculii institue-
ret Nosocomia Passavii, tum pridem exusta, nunc verò pri-
stino vigori restituta, quæ **JOANNEM GEOR-**
GIUM, denuò quasi fundatorem agnoscunt.

Legem fancivit non infringendam, dum sub Sacrifi-
cio incruento, in teneras non raro solutus lacrymas, salu-
bri præcederet alios exemplo, suamque Ecclesiasticis
præ-

præscriberet vitam, in probitatis speculum, ac ostenderet in primo semine, quales olim magis adultâ virtute prolaturus esset fructus, in uberiorem Ecclesiæ fertilitatem, statûsque communis incrementum.

Huminitate, vix non saxa ad humanitatem animavit, qui Deucalione potentior, & svavior Amphione, saxeа corda emolliens, ad sensum reduxit, ut saperent, ut sentirent.

Tribus inserviendo Dominis, *DEO, PONTI FICI, CÆSARI*, nulli non dilectus & acceptabilis, Religionem DEO, obedientiam sedi Apostolicæ, fidem Cæsari, suum cuique ex æquo distribuens, plurimùm se impendit servitiis: Ecclesiæ verò sibi cœlitus commissæ providus invigilavit Oeconomus, quum apprimè noviset, vigilantiam bono convenire Præfuli.

Germanum in se candorem nunquam sivit infuscari.

Candidæ ac apertæ mentis amantissimo, fucatæ indolis genios aversanti, cum sinceris conversari placuit.

Maluit ad mentem Plutarchi diu benignus, quam brevi tempore appellari, salubri Principum documento, ne ad poenas malè merentibus infligendas festinaret, sed prius in bilance justitiæ moderatæque lenitatis defectum ponderaret: diu enim mugunt fulmina, anteqâm eliduntur è nubibus.

In Diœcesi ne lites fierent immortales, duce prudenter, sanoque consilio, diremit feliciter in ipso partu. Vixit ad annum post sedecim Christi secula sexagesimum, omnibus in exemplum, vitae Ecclesiasticæ cynosura, lumen Episcopatus, ac decus illustrissimæ Familiaæ, Princeps & Episco-

Episcopus : & cùm bonum certamen certasset, cursum consummavit.

*En Comitem, magnumq; 'Ducem, comes inclita virtus
Lumine defuncto duxit ad astra ducem.*

Bonum Principem bonus sequitur Comes, & frater
JOANNES BERNARDUS, ad distinctio-
 nem magni Parentis, majoris Filii, quondam senior **COMES**
 ab **HERBERSTEIN**, qui gradatim ac sen-
 sim, minimè saltuatim, habitâ officiorum ratione, ad subli-
 miora cum grandiore meritorum pondere, viam sibi fa-
 ciliorem, ac feliciorem præstruxit.

Joannes
Bernardus
senior.

Sexto teneræ ætatis anno, nempe post millesimum ac
 sexcentesimum tertio, apud Archiducis Austriae **CARO-**
LI serenissimam Conjugem, nostri gloriosissimi Cæsaris
LEOPOLDI proaviam in Styria illustris ephebus, in Comi-
 tatu Archiducis Margarethæ Florentiam progressus, redux
 in aula præfati Archiducis **CAROLI**, fratrisque uteri-
 ni **LEOPOLDI GVLIELMI** in equestribus
 exercitiis educatus est. Ab ipsa ætate, raro exemplo,
 per novem ac quinquaginta annorum decursus, ad fatalem
 mortis usque periodum, in variis functionibus tam auli-
 cis, quam militaribus perseveravit, qui cruento prælio in
 albo monte Pragensium, inter nonnullos Bohœmiæ, alia-
 rumque phalangum exterarum confederatos, ac Cæsaris
 exercitum gesto, supremus jam Vigiliarum Praefectus in-
 terfuit, suæque generositatis singulare edidit specimen in
 repellendis hostiis insultibus.

Priusquam ad majoris indaginis munia ascendimus,
 hoc notatu dignissimum est, **JOANNES**

X

BER-

BERNARDVM anno post sedeeim secula quadragesimo & secundo, in Svecorum captivitatem cum sua inclyta familia, liberis & tota substantia extrahi ac penitus spoliari maluisse, quam in præjudicium Cæsarianorum, exactiōibus eorundem præstare obsequium.

Dein Serenissimo Archiduci Austriæ **LEOPOLDO GULIELMO** è servitate cum suis restitutus, magnam promeruit laudem, ob servatam **SVMMO PRINCIPI** fidelitatem.

Et quantumvis deinceps reiteratis vicibus per magnatum functionum bellicarum oblata auctoramenta à primariis Svecorum Tribunis, imò ab ipso Dorstensohn, tentaretur generosa indoles, instar rupis Marpesiæ stetit, suamque fidem illibatam morte confirmavit.

Jam ad ulteriora progredimur.

Posteaquam cùm serenissimo Archiduce **CAROLO**, hujus nominis primo Vratislaviensis Ecclesiæ Episcopo, Archiduce Austriæ, pervenisset in Silesiam, hīc inito conubio, fixit domicilium, quem è proprio nomine affari possemus, **VIDENS NON ABERRAS**; Oculo enim mentis, maturique intellectus perspicaci, in via virtutis ne unquam aberraret à dextra, eò potissimum collimavit, ut ducente prudentia, animique integritate, ad sublime gradi, & hīc etiam Coloniam gloriosi sui Stemmatis erigere niteretur.

Videns non aberravit à via regia, qui inter Austriaeos Archiduces, ac coronata capitâ legebat semitam.

JOANNEM BERNARDVM, ob eximias indolis dotes, ac illustria talenta naturæ, supra memoriati

rati Arciduces in Camerarium elegerunt , qui sub *FERDINANDO TERTIO*, ut denuò rebus bellicis ad moveret manum ac operam, ob probatam Herbersteinianæ Prosapiæ fidelitatem, ac propriam, Præfectus Generalis annonæ Castrensis constitutus est, qui rectè ambulando satisfecit muneri, ac Cæsari.

*Otium magni reprobant honores,
Clara deducit labor ad trophyæ,
Sudor augustas iter ad tiaras
Monstrat apertum.*

Tam juvenilis , quām adultioris ætatis genius *JOANNIS BERNARDI*, otium generans vitium abominatus, non ludicra, sed seria, quæ proficia forent ascensuræ virtuti, ac senio , quod obtinuit propè septuagenarius , providè tractabat , semper intentus arduis, nec laboribus subtrahens indolem ad majora genitam, quum his omnia vendant Superi, ad mentem Mantuani :

*Non nisi per multos voluit DĒUS eſſe labores
Ad sua regna viam, nec sidera ſegnibus offert.*

Ob senium tranquillitatis statui satis jam maturus, non tamen deſtitit unquam , quin illuſtria meditando , revolvendo magnalia, præſertim ſaluti animæ profutura, ſe occuparet, ne genius virtuti destinatus torpere censeretur.

Nunquam otiosus, etiam in ipſo limine adeundæ æternitatis inveniri voluit.

Et ne videns aberraret, præmisit ad Cælum ſuſpiria, quaſi nuntios præambulatorios, quos anno ſupra ſeculum decimum ſextum ſexagesimo quinto, colligato meritorum ma-

nipulo, dum prius per cor verè contritum dissolvisset conscientiæ vihcula, proque via tam ardua cælesti sumpsisset viaticum, beata morte secutus est.

Dignus eras senio, NON à virtutis ABER-
RAS

Tramite, namq; VIDENS es speculator
iter.

Joanes Ber-
nardus.

Cereus, dum aliis lucet, consumitur.

Viri revera ecclesiastici, animarum saluti invigilantis, ac se ipsum consumentis typus est: ad labores enim nati sumus, non ad voluptates ac delicias, quæ emolliunt animum, redduntque ineptum ad serviendum DEO.

JOANNES BERNARDVS, BER-
NARDINI filius, COMES ab HERBER-
STEIN, JOANNIS MAXIMILIANI
*COMITIS frater, Cathedralium Ecclesiarum Salis-
burgensis & Passaviensis Canonicus, in æquilibrio judicii
ponderans rerum fugitarum vanitatem, caducas vitæ
delabentis illecebras, ac hominem, non suæ duntaxat, sed
etiam aliorum promovendæ saluti prognatum esse, per-
pendens seriò; ne in sublimi honorum gradu descensum
faceret ad ima, ab humilitatis centro ascensum ad perfe-
ctionem tentare præsumpsit, nec irrito conatu.*

Descendit Comes honorum, quò comes virtutum
ascenderet.

Ecclesiasticum indutus, Solis imitatus est naturam,
omnibus prodesse statuit, pro Canonum fundamento, vi-
tæque transigendæ cynosura.

Primum

Primum posuit tyrocinium (cùm tamen eximiae eruditionis suffragio inclaresceret.) in infima classe, scilicet humilitatis; & quia solummodo in rebus vanis labilem habebat memoriam, non recordatus est, se fuisse Comitem, nisi virtutis. Ita dulcescit animo Superis destinato humilitas, ut non ambiat sublimia, nisi quæ sapiunt perfectionis altitudinem: & dum semper inter Canones versari *JOANNI BERNARDO* non displiceret, nec Archiepiscopo displicuit, quin ipsum inter suos numeraret Canonicos; nec Episcopus Passaviensis Dioecesios diversi fuit consilii.

Jam Canonicus utriusque vindemiæ, vindemiatores elegit pauperes, quibus nulla dabat verba, sed manum refertam eleemosynis, sine tuba, sine strepitu, nisi quem ederent nummi argentei, è liberali manu in sinus pauperum incidentes.

Suæ memor salutis, non oblitus est alienæ.

Quod docendo non adimplevit, correxit hortatu, satisfecit exemplo, nunquam desidiosus, quum apprimè novisset, quòd diuturna quies vitiis alimenta ministret.

Si vivos, cum quibus conversaretur, non haberet, cum mortuis instituit colloquium, librorum indulgens lectio[ni].

Nullam concedebat genio vacationem, quam dum preces funderet, ubi soli vacabat DEO per suspiria.

In singulis robur ac stimulum addidit vis divinæ gratiæ, quod ipsum per sui nominis involucrum denotat *JOANNES BERNARDVS, ANN'-ROBVR DEI?*

SANES! Profectò DEUS suspirantis, ac pro Ecclesiæ emolumento laborantis vires roboravit, ne deficerent, nisi in iis, quæ impedirent gradum assequendæ perfectionis.

Robur DEI, ut se, ac alios salubri sanaret consilio, subsidiarium se exhibuit.

Auream amabat libertatem, prout avarus ferreum auri carcerem: aurum enim non in desides libertinos, sed in libros, quibus indigeret, profudit, & in liberos egentes, quibus licito jure exposuit ad usuras. & dum nimium esset liberalis, etiam cor suum DIVINÆ dedit MATRI, ut ubi esset thesaurus, simul cor appositum permaneret.

Nil unquam rapuit, præterquam corda, affectu pecuniaris benevolentiae: verba enim proferebat byssina, è quibus amoris faciens funiculos, Canonicorum animos fortiter attrahebat.

Mortalem se esse agnovit, mortisque memor se indies paravit ad abitum; & ut spiritus eò gravior appareret coram throno Divinæ Majestatis, ab ergastulo corporis liberandus, nullos Comes admisit famulos, nisi inflammata effusa in DEUM charitatis suspiria, uti præcursores, quos præmisit ad Cælum.

Omnia convasavit ad viam æternitatis providus viator; merita nempe JESU sanguine irrigata, quæ in fasciculum colligata prælegavit per emissos anhelitus, ut eò levior esset, os oratioquin levitatis, ad currendum viam in cælestem, quam ambiebat, patriam.

Gravitatem conscientiæ aversatus, ab omni reatu mundam esse voluit, manu sacerdotali solutus à vinculis: & ne in via deficerent vires, divino refectus viatico, ingressus est iter æternitatis.

Divino

120

*Divino studuit firmatus robore curis,
Ne foret ulla nocens, ultima cura fuit.
Ut levis esset amor, nullos sociavit amores,
Unus erat puri cordis, amasse DEV M.
Sat bene, qui fingens alatum pinxit amorem;
Deseruit terram. Nonne volavit amor?*

Ab Ecclesiastico , ad Religiosum virum transgredi-
mur , qui se generosis Athletis ab *IGNATIO de Lojola*
Divo Patriarchâ fundatæ Societatis JESU sociavit , & idem
quod ipsa Societas sub JESU vexillo , cum dissentientibus
suscepit bellum , ac in eo toties victor extitit , toties pal-
mam reportavit , quoties spiritualibus armis reluctantes
discordantium animos feliciter superavit , quos tamen ,
quanquam succumbentes , gloriosos reddidit victores .

Joannes
Ferdinan-
dus.
Soc. JESU.

Hic scopus est *S. IGNATII* , totiusq[ue] laboriosissi-
mæ Societatis JESU , quæ se integræ liberaliter impen-
dit non absque virium dispendio , animarum saluti
ac conversioni à fide Romanæ Ecclesiæ discrepantium ,
qui , dum spiritualibus expugnati telis veritatem agno-
scunt , suæ saluis reportant victoriam , in Cælo triumpha-
turi .

Ut itaque in hoc spirituali exercitu contra veritatis
adversarios arma gerere ac mereri posset *JOAN-*
NES FERDINANDVS COMES ab
HERBERSTEIN , *BERNARDIN* I Ba-
ronis filius , & *JOANNIS MAXIMILIANI*
COMITIS frater , nomen dedit bonæ militiæ , qui in
arduis belli negotiis se tam generosum exhibuit , ut ali-
quoties

quoties ageret Centurionem, seu Rectorem Collegii, ac tandem Præpositum Viennæ Domûs professæ, commilitonum Antesignanus.

Tyro primùm, egit bellum cum propriis affectibus, queis secundo successu triumphatis, ad ulteriora progressus post tyrocinium, ut haberet captivos, in aurea, sed periculosa libertate constitutos, benevolentia funiculis sibi obstrinxit animos, quos prius insolita affabilitate emolliatos, ad sanum reduxit sensum rationis.

Non inhumanum est, in humano corpore habitare humanitatem.

JOANNES FERDINANDVS è nominis invlocro, *DIU DONA FERENS ANNIS*, suæ humanitatis officia ex instinctu fervidæ religionis, per complures annos non contulit solum, sed effudit in immetitos, ut meritos efficeret, sibi quæ merita.

In vinea Domini laborans, vindemiatorem egit, ac vindemiæ præsidem, ne intrarent vulpes, & depascerent.

Institutorum observantissimus, observantiæ exemplum dedit, quod inferiores sequerentur.

Maturus armis cum hoste conferendis, ne virtutis robur marcesceret, exercuit magnanimus athleta, & ad *IGNATII* genium, ingeniumque efformatus, glacente intra viscera spiritu, non fuit ultimus in acie ad resistendum.

Parum diximus. Societas JESU, quæ in erudiendis Juvenum ingenii, convertendâ errantium obstinatâ indole, ac vitiis radicibus extirpandis, summo laborat studio, magnumque munimentum est Catholicæ Ecclesiæ, immo Castro-

Castrorum acies ordinata adversum dissentientes, tales nutrit stadiodromos, similes instruit palæstritas.

Alterum se offert bellum Christi athletis, immane ac horrendum, cum Japonibus, Indis, præsertim Chinensibus subeundum, ubi vel sacram edendo stragem, vel pro JESU nomine moriendo, victores triumphant; non datur hic tertium genus victoriae.

Quot non centena millia hominum, unicus Indiarum Apostolus prostravit Christo victimas?

Non frustra lavit Aethiopes FRANCISCVS XAVERIVS, quem è proprio affari liceat nomine, I, FIS REX, AC UNUS CURAS.

Unica I litera *XAVERIUM* ex Occidente jussit adire Orientem, ut ibi minus orientem videret Solem Ecclesiæ.

Rex erat *XAVERIVS* suorum affectuum, spirituālis Rex Indorum ac Japonum, quos rexī spiritu cœlitus infuso, & direxit ad viam salutis: *UNUS* curavit sinistram animarum valetudinem.

Successit in pingvi vindemia, ubi è botris torcular Indicæ ac Japonicæ tyrannidis expressit sanguinem dona cæli ferentibus, successit inquam, minima Societas, *JESU DONATA SIGILLO*, quod proprio testatur nomine *S. IGNATIUS de LOFOLA*. Imò ipse Fundator *DONATA SIGILLO JESU*, heroicam athletis fortitudinem, laborum constantiam, desiderium martyrii, ferventisque amoris incendium.

O IGNIS A'DEO ILLATVS ad promovendam animarum salutem, & exurenda errorum, vitiorumque zizania!

Quæ omnia proveniunt à sigillo JESU, ab effusione nimirūm pretiosissimi sui langvinis, quo suum scripsit in ara crucis, sigilloque confirmavit testamentum, ac seipsum, uti sigillum divinæ gratiæ, nobis communicat in Venerabili *EUCHARISTIA* Sacramento.

Sed parumper digressi revertamur ad bellum.

Verè ad Orientem Societas JESU videt orientem Ecclesiam suo cum *XAVERIO*, quæ in Occidente, si *IGNATIVS* cum sacro exercitu non tempestivè maturas attulisset suppetias, tenebris errorum at hæresum involuta, si non occasum in diversis provinciis ac regionibus, densam saltem passa eclipsim ingemuisset.

Tanto hactenus cum fructu, quem sangvis Martyrum pro fide Catholica ubertim effusus irrigat, illic gentium laboravit Societas, ut quatuordecim Reges in India ac Japonia, sex Reges, ducentique regii nepotes in China, decem Reges in Æthiopia, octo in Abassia, plures quam triginta Reginæ, sine numero principes utriusque sexus, immo integri exercitus ac regna, singuli fonte renati baptismatis, è servitute Ægyptiaca prosperè ducentes Coloniam, Christiani nominis accesserint libertatem.

Idcirco, ut tam insignium meritorum se participem redderet *JOANNES FERDINANDUS*, optimam sibi elegit promerendi stationem, in qua usque ad vitæ epilogum collaboravit strenuè, ac vindemiæ mercedem accepit à Domino.

Inclytæ

*Inclyta perge cohors JESV DONATA SIGIL.
Non cessa Æthiopes fonte lavare DEI. (LO,
Imbre velut cœli, madefacta est sanguine tellus,
Parturiet fructus sic per arata suos.*

*Sol radios JESUS vestris communicat arvis,
Uberior quondam, credite, messis erit.*

Ut extra bellum spirituale non moveamus pedem, placet intrare Ordinem Divi Patriarchæ **BENEDICTI**, quem divina Providentia inter Ordines antiquitate primarios, à multis benedixit seculis, & ulterius (ita si visum fuerit Protectori) benedicet.

Ipse est, qui per triadem seculorum, continuâ ac nunquam interruptâ serie, Pontificali insedit solio, ut quasi perpetuam auctoritatis Pontificiæ sessionem tum temporis promeritus fuisse crederetur.

Plures, quam ducentos Cardinales, sexcentum ac milie Archiepiscopos, supra quatuor millia Episcoporum numerat **BENEDICTUS**.

„ *Pinguis est panis ejus, & præbebit delicias Regibus. Imò etiam Imperatoribus, quorum tres sceptrum Imperii, novem Imperatrices in clauströ Virginum ejusdem Instituti, cæsareum diadema; viginti cum duobus Reges, & quadraginta quatuor Reginæ regalem adorem; complures Archiduces, ac Principes tiaram, plurimi Magnates & Dynastæ, suæ præminentiae supercilium, ut sub BENEDICTO benedicerentur, sponte abjecerunt, non absque fœnore, quò majores aliquando forent in numero Electorum.*

An non à DEO benedicti sunt electi, & vicissim?

Solis imitantur naturam in hac fulgentes statione.

Suæ benignitatis radios derivant in animarum salutem, atque in advenarum, quibus secundum regulam hospitalitatis officium cumulatim exhibent, non exile solatium.

Joannes Cas
rolus. Ord.
S. Benedicti.

JOANNES CAROLVS COMES ab HERBERSTEIN, BERNARDINI filius, ut benediceretur à DEO, inscribendus Electorum numero, evanescens gloriæ brevitatem, viscum opulentia, lenocinantis Fortunæ venenosos amplexus, atque duntaxat in Aprili virorem habituros favores Principum aversatus, exuto carnali, habitum induit BENEDICTI, in Ducali Ascetorio ad S. Lambertum superioris Austriæ, ut ab Austro divinæ gloriae afflatus, Aquilonem malorum, ac voluptatis Zephyrum abhorrens, uberior germinaret. Religiosos Christi athletas, Solis naturam imitari diximus.

CUR SOL, AN à SENIO, JOANNES CAROLUS?

Omnino, tam à senio sacri Ordinis, in quo Cæsares ac Reges deposito veteri, recentem mutuati sunt splendorem, quam virtutum, quibus aliis præluebat.

In delicatam sui corporis substantiam, quò inordinatos demeret appetitus, per naturam alioquin deflectere solitos, rigorosum constituit Censorem, semetipsum; utq; dorsum ac humeri erumpente sanguinis imbre madefacti, fructus proferrent affluentiores, funiculis, quibus inseruerat stellulas, in via lactea Microcosmi lucentes, usus pro aro, sulcatim aravit, nec erravit: etenim in tantum magistræ rationi subjecerat carnis affectus, ut continuè sequerentur spiritum, Rectorem ac Gubernatorem.

Et quum pinguis esset panis BENEDICTI, qui etiam dulcesceret Regibus, tenacissimus jejunii, hoc solo sàpè contentus, addidit frigidam, quà frigefaceret cor aestuans ab interno divini amoris incendio. In opere ac sermone suavissimus, rosas fundebat ex ore, non absq; spinis, quibus in humanis cordibus adhuc angulatim latentes araneas expurgaret. Submissionis amans, in humili gradu magnum assecutus est, inter Monarchas & Principes Comes virtutum ac splendoris. Sed in hoc Divi BENEDICTI Ordine, omnem inversum esse ordinem animadvertisimus: qui enim imperare, ac dominatum ferre assueverant, ministrando inserviunt, & qui subinde ex infimæ sortis gente

rete promanaerunt, duce virtute ac comite sapientia, gerunt principatum, obedientiam, quae locum obtinet victimam, sic ordinem statum ac stationis moderante. Sacri Instituti horologium est ipsa obedientia, quae singulis indigitat horis, immo momentis, cui libet sui operis ac muneris functionem.

JOANNES CAROLUS lubens egenis aperuisset manum, sed in ea dabatur vacuum. Sub splendida paupertate nihil habuit proprium; immo propriam voluntatem, ne vel minimum possideret, resignavit Superioribus. Sic decet vivere benedictum, sic electum. Purum dixissent spiritum, fratres in spiritu ambulantes, nisi carni vidissent inharentem.

Nil ab ea JOANNIS CAROLI obtinuit animus, praeterquam carcерem temporarium, & caro nihil ab animo, nisi libertatem. E quo tandem ergastulo, anno supra millesimum ac sexcentesimum quinquagesimo, anima tanquam è carcere, libera evolavit.

*AN non à SENIO lassus SOL occidit? & cur
Deposuit radios forma serena suos?*

*Pulchrior Hesperiis ut Sol exurgit ab undis,
Sic quondam vegeti corporis ortus erit.*

Flores apparuerunt in terra nostra JOANNES IGNATIUS, JOANNES BERNARDUS, & JOANNES JACOBUS, JOANNIS MAXIMILIANI senioris COMITIS ab HERBERSTEIN filii, qui in ipso flore, ne ab Euro vel Aquiloni vitiorum afflatu contaminarentur, maculam forte contracturi, transplantati sunt in Paradisum.

Spes erat in illis reposita parentum, eos quondam vel in Politico vel Ecclesiastico statu frugiferam edituros fragrantiam litorum; verum Divinae providentiae placuit, adhuc innocentes immundo eripere Mundo, ut tempestive Sanctissimae TRINITATIS visione fruerentur.

*Dum centum foliis florent per Cœlica Tempe,
Quid nocet, has falceam defecuisse rosas?*

Ars Urbes, populos, ac militares copias gubernandi, in cunctis obtinet artibus principatum. Omnia sapientiae Joannes Jacobi seph.

præcepta referuntur ad vitam, in virtutum stadio benè beatèq; transfigendam. Majorum rerum contemplatione deduci ad cupiditatem scientiæ, illustrium est Virorum, quos sapientia comitatur. Theorematum dissolvet triadem JOANNES JOSEPH COMES ab HERBERSTEIN, JOANNIS MAXIMILIANI senioris COMITIS Filius, Melitæ ab Equitatu sacer, & hoc tempore per Germaniam Magnus Ballivus, Sac. Cæf. Regiæq; Majestati e Cubiculo, & pridem in Interioris Austriæ belli consilio, etiam Vice-Præses, jam à secretiori intimo videlicet effectus, Segniæ Supremus Capiteinus, Generalis Campi Locumtenens Mareschallus Croatiæ, maritimorumq; Confiniorum Generalis Carlostadiensis &c

Hic nobilissimæ origini parem indolem adeptus, dignam indole eruditionem, & utroq; virtutem, sapientiæ omnium moderatrici tenera adhuc se dicavit ætate, ut huic desponsato, quæcunq; forent gerenda, felicem fortarentur effectum. Quippe qui ortu ipso maturam se noctum fuisse sapientiam, sui nominis anagrammate perbellè demonstrat.

En Sophia senio!

Hinc ne Majoribus suis minor ex cresceret, non tam paterno jussu, quam propriæ generositatis impulsu, tenellus adhuc sophus, matura deliberatione, estò vix non adhuc immaturus, MELITAM profectus, huic se profecturus dicavit, ut sacrobellolicus effectus, artem artium suis in Majoribus comprehenderet. Magno Ordini S. Joannis Hierosolymitani Magistro sese discipulum dedit, ut ipse dein plurium fieret Magister. Nec hanc deseruit provinciam, donec ad omnes ejusdem dignitates, honorumq; subsellia aliquando occupanda capacitatis proximæ jecisset fundamenta.

Unde merito suo eò pervenit, qui quacunq; honorum accedente sequelamagnus inveniretur potius, quam reddetur. Et quamvis patrium repetens solum mari bellare defiterit, eundem tamen hostem terrâ persequi non neglexit, terrâ marique validè generosus.

Ita undiq; Sophiæ, Judicii q; meridianâ luce paludatus, umbram non emisit, adeoq; Cæfarei Consilii arbitrio visus, qui in Generalatus Varasdiensis plurium Præsidiorum districtibus

strictibus successivè adversùs Turcicos incursum ageret Colonellum, optimo quidem eventu, quippe qui sèpiùs rabidos eorum ausus, copiis gloriose cœsis, fugatisq; terruit & contrivit. Ibidem loci tūm absentium, tūm impotentium Generalium vices ita gessit, ut numerosissimis heroicè gestis celebris famæ encomium sine contradictione meruerit: Imò magnæ illi Cæsareæ Constantinopolim allegationi ita adjunctus, ut Leslio deficiente, Legati absoluti sumeret characterem, jam tūm re Collegatus.

Redux inde ampliora sapientiæ suæ specimina ad invidiā dedit, & quidem ut artem suam religiosam contestaretur, plurimos in Confiniis Crisiensibus Valachos schismaticos suā habens sub potestate, non tam disciplinā militari sibi parentes, quām Matrī Ecclesiæ subditos reddere studens, ingens eorum in se concitavit odiū, quo barbara illa & transfuga gens Episcopo suo, Pontifici summo & Cæsari August. perjura, perfido motore, in unum convolans DUCEM JOSEPHUM cum Præsidio interimere delereq; conspiravit, ut vel sic sibi suis in erroribus securitatem pararet: nec quidquam perduellum defuisset voto, nisi JOSEPH prudentiæ providissimæ maturiori consilio, iniqua fœse accumulantum Græcorum præ- & invertisset conciliabula. Unā enim die præventos pugillo suorum Germanorum adhuc dispersos modico sanguine omnes, qui cunctorum cruore haud satiati fuissent profuso, pristinā ligavit pressitq; submissione & obedientia.

Post aliquot annorum curriculum maritimo, & Croatiæ vicino Carlostadiensi Generalatui præfectus tam feliciter fuit, ut merito suo Patriæ illius, ipso Nobilium ore bis Pater sit effectus & proclamatus: Sicut enim illa Valachorum conjuratio toti non pepercisset Croatiæ, ita dein Sriniana rebellio sub libertatis ampliandæ prætextu, in Turcam deduxisset captivitatem, nî JOSEPH hîc circumspetus suorum Carlostadiensium ope Frangipanum non tam vestibus quām animo nudum fugasset, & hoc ipso omnium Conspiratorum animos non prosequendæ, sed corrigendæ potius, aut excusandæ conjurationi studere compulisset.

Sic

Sic assueverat hic etiam domesticos hostiles incursus prius retundere, quam detegere, non ignorarū quantam morā hujusmodi maximē bellicis præripiat & neget felicitatem eventibus. Non patitur fidelitas activa cunctamen, quo admissō contemplativa præter voluntatem sæpe sæpius operis habet, quod ostendat, NIHIL. Ideo etiam injussus, quod sibi certò jubendum ratus, & opportunā temporis differentiā, executioni jam applicato præceptum fuit, inviolato fidelitatis juramento præstitit. Carlostadienses narrant unanimis voce veridicā, hoc se sub GENERALI exemplō ea sumpsisse incrementa, ut singuli in terminis Confiniorū suorum novam induerint faciem, Præsidiorum & ædificiorum novitate, quā labentia jam, partim solidavit, partim à fundaminib⁹ erecta suæ industriæ & activitatis testes æternos posuit. Hac Invidiæ felicitate materiam dedit, calumniæ fidelitate subtraxit; Cæsari verò gratitudinis, ut sibi Segniam supremo Capitaneo subdiderit, exercendæ ansam æquissimam præbuit.

Quid ad hæc Melita? Otiosumne habuerit illum, quem tanto honorum fastigio religiosè genuerat? Minime; noverat enim JOSEPH Cæsareos meritis assequi favores, & religiosi sui statūs promereri progressus. Novo sanè, nec omnibus Philoſophis credito miraculo in distans meritorum suorum incrementa ager non neglexit, quippe qui nuper absens in Magnum Germaniæ Ballivum assumptus Cæsareo sese Melitæ ſistere debuerit indulto MAGNA CRUCE à MAGNO Religionis MAGISTRO decorandus. Et meritò quidem inter MAXIMOS jam positus MAGNUS designari debuit, qui inter MINORES adhuc existens MAXIMI insignia præſe ferebat.

Suis religiosè commotans etiam elingvis docuisset, ſeavitum ſplendorem ita participasse, ut debitum subiret proprii. Fortunæ indulgentiam eò admisſe, ut materiam acciperet Virtutis: Cujus in Consiliis verba factis gravida Sacramentum Voti compensarunt, acta verò pactis grandiora felici perfidiā in augmentum laudabiliter degenerarunt. Jurabant Co-Equites auream Melitensem ætatem futuram ſitam

si tam generosè sapiente & sapienter generoso gloriosoque
Magistro regerentur. Nec mirum; nam Comitatis pel-
lacia ingenuos ad se invitabat: Contumaces, si qui fuissent,
meritorum magnetē eodem, quasi ferrum festinare coēgis-
set: adeo quidem, quod sic agnito haud licuisset redditus, nī
Cæsarī motus fuisset MAGNUS MAGISTER ad dimit-
tendum instantiis: Sicut enim in JOSEPHO sibi aliquando
præficiendo omnes erant consensu, ita in unquam dimitten-
do dissensu unanimes. Ad sua Consilia reversus, in I. A.
bellico Consilio Præsidis vices agere jussus, brevi docuit
genium sibi esse ad omnia ingenium, naturā editum, vir-
tute acutum, fortunā occupatum, sago, togāq; probus &
probatus. Quapropter palmam præ seferens, sub tot ho-
norū pondere crescere assuetus, translatione sui, utilia,
gavisurus, ēbellico ad INTIMUM STATUS repositus est
Imperatorio jussu CONSILIUM, ubi suæ SAPIENTIÆ
SENIO quidni? sana promanabunt consilia, quorum fœ-
cundiam majorum rerum contemplatione adeptus docet;
quām utilis sit ad omnia SAPIENTIA. Quis neget sa-
pientissimum? Qui in tanta cumulatim famulantium ho-
norū nomarchia, estò à cæteris nullo magis, quām meri-
tis & magnitudine diversus, humilitate affabilissimā omni-
um sese inserit commendatq; charitati, ut hāc unione bene-
volentiæ cuiuslibet voto conformatus, gratiā amabilis, &
amore gratosus, omnium prædicetur suffragio. Felix
Prosapia, cui tales sunt Posteri, qui hereditate non diminu-
ta, proprii tantoperè eam locupletant virtutum dotibus,
ut illis etiam non attentis, his sese conspicuos, nec quid-
quam minus quām degeneres, Orbi manifestent, & docu-
menta dantes, quā sint ab Originenati, sui se NOMINIS VI-
ROS profiteantur gloriofos.

Sic JOSEPH hic PATRIS sui è quatuor UNICUS su-
perstes FILIUS sed talis, in quo virtuosam aliorum epigra-
phen nemo non videat, utpote qui omnigenā virtute singu-
los refert cum Genitore congenitos. Benē gestorum
perseverantia, omnium virtutum corona est, ac consumma-
cio. Sapientia senio destinata non deseret unquam JO-

ANNEM JOSEPHUM humilem unaq; generosum spiritu, quā mediante vita vestigalibus exercendis virtutibus consecrata aliquando beatam consequetur analysin.

Non improlis erit thalamus: Sapientia proles

Namq; solet superis progenerare pares.

Joannes
Franciscus.

Quisquis adversum vires Othomannicas, ad fidei defensionem Catholicæ, illæsa pugnat conscientiâ, atque occubit in acie, martyrii laurea in Cœlo coronatur.

Hoc pleriq; statuunt Theologi, ac qui in minimo sape-re censemur, non dissentunt. Pro DEO, ECCLESIA, & CÆSARE mori, non est duntaxat gloriosum, sed etiam æviternæ salutis promeretur præmium.

Bona causa semper triumphat, et si spiritum acceptum ē DEO, in occasione majus Ecclesiæ ac Cæsaris incrementum concernente, refundamus.

JOANNES FRANCISCUS COMES ab HERBERSTEIN, JOANNIS MAXIMILIANI senioris filius, ex instinctu generosæ indolis, sub Divo Imperatore nostro LEO-POLDŌ, inter Imperii militares cōpias animosus bellator, gradatim ascendendo, tandem supremus Vigiliarum Præfectus, in ultima expeditione bellica contra Turcarum glomeratas Hungariae invasiones, fortiter pugnavit, quem ē nominis transpositione alloqui liceat, **SICN' FANO CANUS ERIS?** Fano virtutis sat matutus, etiam honoris ingressus Fanum, mori maluit in armorum congressu, quam recede-re inglorius.

Anno post sedecim secula sexagesimo sexto ad Urbem Quinque Ecclesiensem, in ipso conflictu à Turcarum ferocia in frusta dissectus, gloriosâ morte occubuit, & qui pro DEO, ECCLESIA, ac CÆSARE stetit imperterritus, hostium impar numero, in arena generosum effudit sanguinem, quo nomen suum posteris decantandum, inscripsit æternitati. Sic Heroes moriuntur.

Ingressus fuerat Fanum generosus honoris

Athleta, at cecidit viðima, grata Polo.

Joannes
Maximilia-
nus Junior.


Non viribus ac celeritate res magnæ geruntur, sed con-silio atque auctoritate.

Viri

DAS SCHLOSS HERBERSTEIN
samt dem Lustgarten alda in perspectiv.

Stadtpartie

228



921

INSTITUTI
SACRAE THEOLOGIAE

ANNO 1550. LIBRARIUS.

Viri illustres nullâ re propriùs accedunt Superis; quam salutem procurando populis.

Proposita definit theoremata Magni Genitoris **JOANNIS MAXIMILIANI**, nuncupati dum viveret **SENIORIS**, Magnus Filius **JOANNES MAXIMILIANUS COMITES ab HEBERSTEIN**, Imperatoris gloriosissimè gubernantis Camerarius, ex Intimis Consiliarius, ac Ducatûs Styriæ Capitaneus, paternæ heres substantiæ, virtutis, ac gloriæ, in quo omne trinum perfectum est.

In hac triplici honorum Spartâ, quam propriis adoravit meritis, non ullis confidens viribus, sed consilio, & decumanâ quâ eminuit auctoritate, non festinanter procedens, regiam elegit viam, ad promeritæ culmen gloriæ, qui indolem excellentibus præditam talentis, imò animam obtulit in xenium solio **LEOPOLDI**, **JOANNES MAXIMILIANUS**.

AN ANIMA SOLIIS XENIVM?
ita è glorioso nomine sciscitari non veremur.

EN VIA! ANN' MAXIMI SOLIS?

Solis terrarum maximi via est, quam introivit, provolutus ad thronum **LEOPOLDINÆ MAESTATIS**. Et ut propriùs Superis accederet, totius Styriæ Capitaneus, publicam salutem Patriæ procurando, non intendit proprium adaugendæ Fortunæ emolumentum, sed potius ut vireret, floreret ac perennaret communis amplissimi Ducatûs incolumitas.

Uti Principum vitiis integra solet inquinari Respubli-
ca, sic emendari & corrigi continentia.

Optima hereditas traditur liberis à Parentibus, virtu-
tis, rerumque præclarè gestarum gloria.

Hanc accepit hereditatem legitimus heres, jam dudum
Arcis Herbersteinianæ Possessor **JOANNES MAXI-
MILIANUS** ab Illustrissimo ac Excellentissimo Ge-
nitore, quam optimus rerum gerendarum Oeconomus,
Mundo validicens, nonita pridem propriis cumulatam me-
ritis, auctiorem transtulit in **JOANNEM GEOR-
GIUM COMITEM ab HEBER-
STEIN.**

Ipsa natura divitias, quibus contenta sit, terminatas
habet.

Superfluas sacris impendisse rebus, Religiosis ac egen-
tibus contulisse suppetias, magnæ virtutis gradus est, quo
ad reciprocam DEI benignitatem ascendimus.

Non semper secura manet statûs tranquillitas.

Sæpè sub eodem die, ubi lusere navigia, fluctibus ma-
rinis absorbentur.

Sui statûs quò securiorem se redderet **JOANNES
MAXIMILLIANVS**, per conscientiæ integritatem,
animique firmavit submissionem, quæ nihil derogavit
stationi tantæ dignitatis: etenim, sicut Colossus, etiam
in profundissimo consistens puteo, suam servat magnitu-
dinem; non aliter illustres animæ, absq[ue] detimento in-
tegram retinent altitudinem, in abyso humilitatis radica-
tam.

Vigilans

Vigilans Gubernatoris oculus inviolatam confirmat
Rempublicam; occlusus minuit, dum laxatis interim
disciplinae loris triumphat malitia.

Ac proinde ne gubernationis inspectioni commissus
Styriæ Ducatus devolveretur in salutis deliquum, aperto
dormivit oculo more leonis, vigilantissimus Patriæ Capitanus.

Talis est sapientis animus, qualis renidet status Orbis
supra Lunam, semper illic viget serena temperies.

Ipsa serenitas sapientis animi, ex oculis, è fronte, in-
timisque candoris germani visceribus *O ANNIS
MAXIMILIANI* gratosos eiaculata est radios, quos
derivavit potissimum in virtutis ac sapientiæ cultores.

Quantò quis sublimior, tantò magis ejusdem appa-
rent vitia, & virtutes, quas in hac illustri indole venera-
mur.

*In xenium solio LEOPOLDI Cæsar is offert
Se magni genius sanguinis: anne satis?
Non satis est: animam sacrat cum sanguine; non plus
Fam poterit solio firma litare fides.
decessit è vivis anno M DC LXXX.*

Reliquas inter virtutes, quæ exornant copiarum ducem,
primarium locum obtinet fidelitas, sine qua generosus vi-
lescit impetus, torpet animi promptitudo, evanescunt prio-
ra merita, nomenque antehac gloriosum, fit inglorium.

Non vetera, sed recentiora belli, inter magnanimum
Imperatorem *LEOPOLDUM*, Regemque Galliarum,
haud ita pridem per sanctiones Pacis ad finem devoluti

Joannes
Ferdinan-
dus.

exempla contemplari licet, ubi violata, quam juramento obligatam fecerant, fidelitate, loca satis munita, corrupti & pondere & splendore auri allicientis, viribus Gallorum substravere.

Alienus ab hoc reatu **JOANNIS MAXIMILIANI** senioris non degener filius **JOANNES FERDINANDUS COMES ab HERBERSTEIN, & FIDE ORNANDUS ANNIS**, sub signis Augustissimi Cæsaris cohortium pedestrum Colonellus; qui fidem, quam **SVMMO PRINCIPI** jurejurando devoverat, secum tumulari voluit; **E FIDE ORNANDUS ANNIS**, ad dictamen transpositi nominis, seræ posteritatis, inclytus Heros maximæ expectationis; quem nisi Fata præripiuissent Fortunæ, ad sublimiora tantâ virtute duce ascendisset, qui tamen adhuc vivit superstes in progenie, generosæ mentis indicia præferente.

Quid in bello contra Turcas, aliosque Cæsarishostes gesserit, jam abundè novit Orbis: superfluum itaque censetur, quæ palam cognita sunt, denuò in scenam producere.

Adamanti fidem, cor candidum ac sincerum, per ignem novercantis Fortunæ examinatum, auro puro æquare fas sit.

Anhulo inclusit aureo adamantem **JOANNES FERDINANDVS**, quo sibi Austriacam desponsavit Domum.

Donec hæc gloriissima Domus Archiducum in suo flore consistet (quam perennem melior Orbis comprehenatur) nunquam futurum est, ut tanti Herois (quem obprocéri

ceri robustique, corporis staturam *LONGVM COMITEM* vulgo appellare solebant) gloriosum nomen silentio sepelietur: Insignia namque virtutum vestigia, quasi insculpta marmori remanebunt.

Bello, Austriæ Orbiique universo valedixit, annum circa sexagesimum nonum deproperantis seculi, post se magnum relinquens sui desiderium.

*Spiritus assuevit Martis qui ferre labores
Et sub magnanimo Cæsare castra sequi,
Evolat è castris quærens sublime, quietem
Non dubites fesso constituisse polum.*

Ex aquilis aquilæ, è leonibus leones.

Joannes
Georgius.

Ex heroë, spiritus prodivit heroicus, quem in *JOANNE GEORGIO COMITE ab HERBERSTEIN*, præmemorati *JOANNIS FERDINANDI*, famosissimi Cæsariani Chiliarchæ, non degenere filio suspicimus qui non ita pridem à summa Majestate supremus aulæ Mareschallus in Styria declaratus est.

O SVRGIS! AN è GENIO? hoc ipsum proprio dictat nomine magnanimus Centurio Cæsariani exercitus.

Occurrit hîc primò, quæ adhuc sub prætexta in surculo virebat indoles, magnitudini rerum, quibus gerendis destinabatur, divinitus facta, vigore tanto, ut ceu jam tum Cohortes militares animare parata, magnam sibi arenam deposceret, in qua magnos ad gloriam anhelitus explicaret.

Toro sum animi pectus ad gestorum latifundia non sortitus est ex avito sangvine, sed accepit, ut patrimonium gloriae,

gloriæ, in quo anteacta avorum ac atayorum ferret secula, non consummaret, sed suis adaugeret meritis.

Rebus itaque bellicis natus ex propagine tantâ, quæ non unam virorum fortium ac Heroum Hecatomben Argivo Clypeo dignam protulit patriæ Ducatui Styriæ, mirum est, quomodo genium illum Gradiwo plenum, admirabili nunc temperamento fecerit tractabilem, omne Martis supercilium, quod olim atras suspendebat nubes, & sæva rigoris missilia jaculabatur in bello, procul effugiens; ubi legitimo jure successionis, Originalibus Illustrissimæ Familiae Dominiis, **HERBERSTEINIANO** nempè ac **NEYBERGIANO**, ad possessionem stationis præfectus est.

Non solus accessit, ad tantorum bonorum affluentiam, quem secundūm nomen Joannis ipsæ Gratiae, venustarum virtutum Charites comitatæ sunt.

Reliquas inter virtutes, quibus priscorum seculorum Principes plurimū studebant, non postrema ordine ac censu audiebat, eosdem non duntaxat suorum incolarum & subditorum, sed exterorum etiam animos benevolentia, humanitatis officio, & affabilitatis concinno nexu sibi devincire, intentos fuisse, prout de Africano, Camillo, Alexandro M. & aliis ejusmodi propè innumeris, historiarum testantur monumenta.

Quanto exultationis gustu præfata Dominia, ubi non dissimili magnarum virtutum apparatu Dominum ac possessum suum circumdatum intuerentur, adventantem suscepserint, loquetur Styria.

O SURGIS! AN è GENIO?
Excellens genius, qui inter asperas bellii vices mucrone trahere, sanguinem spirare, interimere hostes assueverat, nunc in

180

in grēmio suorum, deposito rigoris Martialis supercilie,
caput reclinat; eō securior, quō ampliori virtutum satelli-
tio, dotumq[ue] heroiacum famulatu stipatus est.

Quid inde ominari licet? nihil aliud, quam tranquili-
tatem subditorum, & legitimi possessoris felicitatem.

Præcessit jam **JOANNEM GEORGIVM**
ad aulam Divi Cæsari's **LEOPOLDI** eloquens Fama, ut
sequatur altiori dignus honoris fastigio: id spondent athle-
tici spiritus prodigia, magni animi anhelitus, è Magni Ge-
nitoris genio per influxum in Natum derivati.

Eventum præstolatur Styria, ambiunt vota, requirunt
talenta.

Indolis exurgat generosæ spiritus ultra,

E genio veniat gloria digna tuo!

Longa tibi series annorum crescat! honorum

Ut series annis par queat esse tuis.

JOANNES BERNARDVS & Uterq;
JOANNES MAXIMILIANVS, JOAN-
NIS BERNARDI senioris **COMITIS**
ab HERBERSTEIN filii magnæ spei, per nimis
maturam mortem, melioris vitæ participes, ut non diffidi-
mus, gaudent societate Electorum DEI.

Joannes
Bernardus.
Joannes
Maximilia-
nus.
&
Alter ejus-
dem nomi-
nis.

JOANNES GEORGIVS COMES ab
HERBERSTEIN, senioris **JOANNIS**
BERNARDI Comitis filiorum quartus,
clarus naturæ donis, flocci pendens mortales delicias ac
A a volupta-

Joannes
Georgius,

voluptates, relictis post se omnibus, Ecclesiasticum se legit statum; eò liberior, quò magis constrictus esset vinculo castitatis, Passavensis, Ratisbonensis ac Vratislavensis Canonicus. At quærimus è nominis involucro, **F O A N N E S G E O R G I U S, A N N E V I R G O è S I G N O?** è signo nempe castimoniæ, quam prout competit Ecclesiastico, in sepulcro secum voluit tumulari Romæ, dum in Collegio ad S. Apollinarem sublimioribus indulgeret studiis.

*Quem Mundo dederat cœlestis gratia partum,
Hunc recipit. Partum nominis, Orbis habet.*

Joannes
Franciscus
Ferdinan-
dus.

Ibi verè reperitur DEUS, ubi omnes deferuntur creature.

Non ita armis, quām pietate paratur victoria.

Servire sensus debent, non imperare.

Providentiæ signum est, si exterioris oculi rectitudinem, interioris puritas comitetur.

Arcendæ sunt curæ, quæ non curant defectus animi, neque perfectioris vitæ procurant incrementum.

Diversa sunt, quæ conjunctim in harmonia complectitur **JOANNES FRANCISCUS FERDINANDVS COMES ab HERBERSTEIN**, senioris **JOANNIS BERNARDI** Comitis filius, Ratisbonensis atque Passavensis Ecclesiarum Canonicus, Archiepiscopi Salisburgensis Consiliarius Intimus, aulici Consilii Passavensis Vice-præsidens ac Locumtenens.

*Fugitivos Mundi honores, luxūs illecebras, favores
Princi-*

Principum, sumum gloriæ, cœnum transitoriæ voluptatis,
ac omnia deseruit, ut in DEO inveniret omnia.

Athletam agit Ecclesiæ ; non armis, sed pietate obtenturus sui victoriam.

Bellum habet intestinum ad subjugandos affectus,
quibus humili prostratis, nunc redactis ad observantiam, vi-
ctorem egit.

Sensibus, ne imperarent, quibus est parere necessum,
injectit frenum, quos in triumphum duceret captivos impe-
rator.

Interior mentis oculus nil intueri desiderat, nisi puri-
tatem, ne visus contrahat maculam.

Et cum exteiiores oculi à via rectitudinis declinare
non intendant, eò magis flexuosos declinant tramites, ne à
via aberrent angusta, ad augustam vitæ melioris tradu-
cente.

Variis curarum fluctibus humanus absorbetur animus.

Avarus suas dirigit curas ad congerendos auri thesa-
rios; Ambitus ad aucupandos honores; Voluptuosus ad
assequendas carnis delicias. Quisque suo trahitur genio.

Sed **JOANNEM FRANCISCUM**
FERDINANDUM affari liceat è nomine,
AN ARCENDIS CURIS EFFUNDIS
ANNOS? Omnia, arcenda sunt curæ, quæ non
sanant defectus animi, imò magis accidunt, in virtutis
excidium.

His curis arcendis effundit ætatem, intentus curis animæ, ad perfectiorem promovendæ pietatis statum.

Sic itaque vitæ disposuit institutum, ut non sub modo, sed supra candelabrum positus præluceat exemplo, è lucidissima Familia editus in lucem.

Lampadem oleo impletam qui **J O A N N E M FRANCISCUM** è gratia partum dixerit, non errabit: industrius enim Canonum Observator, muneris Ecclesiastici, ac puritatis conscientiæ amantissimus, eò intendit potissimum, ne oleum deficiat lampadi, sed indies magis abundet olivo meritorum.

Magnanimus est, non solum qui superat hostes, sed etiam qui voluptatibus existit superior.

J O A N N E S F R A N C I S C U S, qui omnibus & singularis blandientis Mundi tributis valedixit, ut iis esset superior, etiam voluptates, nutrimenta malorum, uti insidiarum cuneos abominatus est: optimè præsagiens, vix posse pravam concipi actionem, & jam suæ poenæ ac calamitatis non abesse pueroram; maximas quippe virtutes jacere oportet, sub voluptatis dominatu.

Quidam, ait Seneca, se voluptatibus immergunt, quibus in consuetudinem adductis, carere non possunt, & ob hoc miserrimi sunt.

Hanc ut evitaret miseriam **J O A N N E S F R A N C I S C U S**, evitavit prius nocivum animæ ad cælestia aspiranti toxicum, quod non duncaxat afflictionem, sed & perpetuam invehit mortem malum operanti.

Fugiendo vincere, æquè gloriosum est, quam armæ conserendo.

Ubi

132.

Ubi animus seriis intentus occupatur, non datur accessus illicitis.

**Quid sibi agendum sit, mortuos consulit JOAN-
NES FANCICUS,** eorumque sequitur consilium ad firmandam conscientiam serenitatem, ex qua verum emergit gaudium.

Quisquis internis virtutum splendet ornamentis, non sentit externa.

Ad sensum doloris amputari debent, quae leniter sanari non possunt.

Gloriosè vincit, dum patitur patientia.

Cynosuram sibi hanc elegit Ecclesiæ obtemperans filius, ut in alios benignus, in se vero severum agat Censorrem, qui ob virtutem animo conciliatam, mavult bonus esse, quam videri.

Omnia profectò laudanda sunt, quæ conjuncta cum virtute; & quæ cum vitiis, vituperanda: tantum enim est in virtute positum, ut ea prædicti, etiam in Phalaridis taurō beati sint.

Sospes in arcendis virtus manet inclita curis,

Evolat ad superos unica cura polos.

Impletam oleo lampadem antea nominavimus **JOANNEM FRANCISCUM;** sed vitrea lampas est, quæ stamine præcisò, deficiente humidi radicalis oleo, facile per mortem diffingitur & extinguitur: Sed DEUS qui in fragili tuendo suam ostendit potentiam, lampadem hanc oleo pietatis impletam, ut luceat diu, conservet integrum!

Joannes
Fridericus.

In Ordine, quem vulgo appellant palmiferum, seu ubertim parturientem fructus ingenii, primariam obtinere sedem, ad sacratissimæ Majestatis *LEOPOLDI* symbolum, *CONSILIVM AC INDVSTRIA*, quorum repudiato comitatu omnia vilescunt.

JOANNES FRIDERICVS COMES
ab HERBERSTEIN natu senior *JOANNIS BERNARDI* filius, nunc gloriofissimi Cæsaris Consiliarius Intimus, viorem adolescentiæ, juventutis florem, virilis robur ætatis, & quod ingreditur cælo suffragante senium, devovit industriæ, consilio præside, sine quo nihil admittit curarum, ne privetur successu, quem assiduè provida intendit indoles.

Nunquam indulgens inertiarum, quæ generosos enervat spiritus, tam Oeconomicis, quam sublimioribus se occupat studiis, eò invigilando potissimum, ut omne otium è limine relegatum domestico, regressum facere non præsumat.

Et ne vel minimum accessum reperiat, *JOANNES FRIDERICVS* è proprio loquitur nomine, *INDIES CVRAS INFERO*.

Sic omni ignaviæ præcluduntur postes, ac confiniorum limites.

Janitricem agit Industria, & Præsidis munus Consilium.

Notum est, etiam Cæsares, Reges, ac Principes reficiendi animi gratiâ, exercendis aßveuisse artificiis, prouti pi- entissimæ memoriæ *FERDINANDVS TER-*
TIUS Cæsar, ac *CAROLVS*, Archidux Austriæ, pri-
mus venerandi nominis, Budorgicæ Ecclesiæ Præsul ac
Episco-

Episcopus; qui per tornum, circinum & dolabram subinde tornatiles exercuerunt operas, ut aliæ succederent altioris indaginis, ad genii sæpius langventis temperamentum.

JOANNES FRIDERICVS regalibus in-hærens vestigiis, Architecturæ amantissimus, Ducalium palatiorum exstruendis fabricis proficuum subministra-vit consilium, ordinatamque structuræ, situsque eligendi dispositionem, secundùm quam scientiæ cynosuram, in sublimè palatia excreverunt, penes Grafenortense domici-lium quod *JOANNIS FRIDERICI* pro-pria est sedes in Glacensi Comitatu.

In prima operis parte videre est, ab Herulorum ætate primipilos antiquissimi Stemmati in Insigniis Gentilitiis, rubeoque campo albi coloris gestasse Contignationem, quæ in hodiernum diem, in adiunctis Baronum ac Comi-tum, pro antiquitatis monumento reservatur. Ex quo sine difficultate colligendum est, primos hujus celeerrimæ Familiæ, architecturæ peritos extitisse, donec alâ freti gentilitiâ suæ generositatis, in belli campum evolarunt; Id-circò *JOANNES FRIDERICVS* non deviat ab origine, dum architecturæ scientiam ac dexteritatem suo genio commendatam habet.

In viro illustri singulare ornamentum est humanitas affabilitati sociata, quæ deposito, vel potius obvelato dignitatis supercilie, etiam statu inferiores obvio amplexu exhilarare novit.

Hæc animi vultusque ornamenta Cæsarem *FER-DINANDUM TERTIUM*, Romanorum Regem *FERDINANDUM QUARTUM*, & nunc ad summum Imperii clavum sedentem *LEOPOL-DUM*, præter reliquas magni spiritus dotes, eò pertraxere, ut

ut priores, **JOANNEM FRIDERICUM** in suum
Consultorem ac Camerarium adoptarent, gloriofissimus
verò successor, in Consiliarium eligeret Intimum, atque
aureā donatum clave, hoc monili dignum æstimaret: ipsa
namque humanitas aurea clavis est, quæ vix non saxeos
referat, delectat ac emollit animos, velut gutta è sublimi
decidens excavare solet lapidem.

Judicij Ducatus Styriæ olim Assessorem, sui muneris
observasse limites, non diffitemur, qui in linea hæc per illu-
sti pro tempore Senior, ad majora, Divinæ gratiæ subsidio
(quod precamur) ferat incrementum!

Ad tantæ felicitatis stationem accessit fœcunditas
thalami, per triadem filiorum, **JOANNEM FRI-
DERICUM FRANCISCUM, JOAN-
NEM FRIDERICUM ERDMAN-
NUM, & JOANNEM LEOPOLDUM
ERDMANNUM;** at primogenitus in primo
lucis aditu serenitatem connubii densâ obduxit caligine,
dum flosculus Veris, spiritum à DEO infusum, fonte
baptismi vitæ immortali renatus, illico rependeret Crea-
tori.

Joannes
Fridericus
Franciscus.
Joannes
Fridericus
Erdmannus.
Joannes
Leopoldus
Erdmannus.

Joannes
Befnardus
Junior.

Bonum fundamentum par subsistet ferendæ moli.

Heroici Spiritus benignitati multæ famulantur dotes.

Multò præclarior est beneficiorum, quam trophœorum
relinquere memoriam.

Odorifera nardus virtutum, boni odoris edit svavi-
tatem.

Curremus tandem in præfati **JOANNIS FRIDE-
RICI**

*RICI fratri, JOANNIS BERNARDI
COMITIS ab HERBERSTEIN*
odorem, quem currente seculo feliciter progenitum,
ad primordium vitæ, senior *JOANNES BERNARDVS COMES*, Magnus Genitor nunc Majoris Filii, è nomine per regenerationem indito sic poterat alloqui:
ERISNE NARDVS BONA?

Hoc ipsum secuta ætas, indies quâ crevit indoles per incrementa virtutum affatim comprobavit.

Solidum oportuit esse fundamentum, in quo secundum Insignia celeberrimi Stemmati Gentilitia, Hispaniæ seu Castiliæ Turris, è duris saxis ædificata est: èqua mille pendent clypei heroicarum virtutum, ac præclarè gestorum gloria anathemata, emeritæ æternitatis monumenta; In cuius olim fastigio per magnanimi spiritus benignitatem, cui plurimæ dotes famulantur, suos *JOANNES BERNARDVS* affiget clypeos honoris ac gloriæ, ad æmulationem successuræ posteritatis.

Bonum, solidum utique sublimandæ generosæ indoli collocavit fundamentum *JOANNES BERNARDVS*, in Vere adolescentiæ, in flore juventutis, in progressu maturioris ætatis.

Amaræ sunt quidem imbuendo genio primæ laborum radices, dulcissimos verò generant fructus secuturæ felicitati.

Primum ætatis duodenariæ tyrocinium posuit in aula augustissimæ Imperatricis *ELEONORÆ, FERDINANDI SECUNDI* Cæsaris Viduæ ephæbus,

bus, ubi per morum culturam, per exercitium benè moratæ indolis, per aspirantis ad generositatem spiritus nutrimenta educatus est.

Et quum Veris temperiem studiis humanioribus, tum etiam equestribus exercitiis agnovisset commodam, omnem postmodum admovit operam, ut in palæstra Palladis quà literarum, quà armorum maturum faceret progressum.

His porrò absolutis, ad Bellonæ castra ex impulsu belligentis sanguinis ultrò profiliens, quò suæ generositatis daret specimina, extra militare juramentum, sub signis Cæsarianis ad latus Generalis campi Ducis, ac primariorum belli Tribunorum, in diversis conflictibus ac prœliis, usque ad initæ cum armis Svecorum Pacis sanctiones, fortè ostendit animum, nullo vitæ periculo deterrendum, qui cuncta velitationum discrimina felici successui reluctantia, constanter superavit.


Florente olivâ Pacis regressus in aulam Imperatoriam, in Cæsarei Pincernæ munere peragens quadriennium, ob fidei candorem variis eventibus examinatum, aureâ clave donatus, nec non pro supremæ, Regiæque Curiae, Utriusque Ducatûs Silesiæ actuali Consiliario declaratus est.

Actualis apud supremam Regiamque Curiam per decennium Consiliarius, in suggerendis, è maturo judicio prudentiâ comite promanantibus consiliis, bonum edidit NARDUS odorem.


In quo Palladio voluntas Cæsar is, bonumque Reipublicæ Ipsí suprema lex erat, cuius promovendi desiderio zeloque animatus, non ullis difficultatum, aut odiorum cùneis

G VETEN HAAG

Wie es den von Grütz Kromenden ins gesicht Khammt



Stroft



136

neis perterritus, pro aris ac focis, ut palam constat, indefessus laboravit; Quid porrò ab illa hucusque ætate cùm apud Supremam Curiam, tum etiam in Principum Statuumque subcelliis, & plurimis utrinque arduis negotiis ac Commissionibus pro inclyta Patria, ad sui nominis immortalē gloriam præstiterit, sat docent vestigia, loquuntur archiva, testantur effectus.

Aliquamdiu in hac resedit statione indoles ad ampliores genitā progressus, quæ per industriam ac fidelitatem sibi ad magis ardua paravit viam, cui succolante Fortunā, gloriofissimi Cæsaris *LEOPOLDI* gratia, quæ in *FERDINANDO TERTIO*, augustissimo Genitore radicem egerat, Vratislaviensis Ducatus supremum commisit Præsidium.

Caput erat *JOANNES BERNARDVS*, & ut membra integri corporis bene valerent, conservandæ studuit valetudini, Jus ac justitiam administrando, in prudentiæ ac consiliorum æquilibrio.

Dextram habuit & sinistram, providos ac sapientes Consiliarios, quorum adhibitæ Assistentium operâ, ne reliqui langverent artus, salutisque publicæ nervi, prosperè provisum est.

Non unquam sensit dolorem Capitis, Vratislaviensis Ducatus; sanum quippe habuit judicium, inviolatumque sapientiæ cerebrum, nullà infuscatum caligine.

Vix ultra octennium hîc resedit, et si bellè valeret genius ad sublimiora destinatus: quum enim Glogoviensis Ducatus suo orbatus esset Præside, ex arbitrio Augustissimi Cæsaris *JOANNES BERNARDVS* successit:

cum plenipotentia Produx ac Gubernator, cui Cæsareo
Ministro, Intimo nempe Consiliario pro Cæsare feren-
dum, nil verendum.

*Si SOL est Cæsar, sanè tunc AVSTRIA Cœ-
LVM,*

LACTEA purpuoris est VIA mixta viis.

*SIDUS in hoc cælo fulgens, aut stella MINI-
STER,*

*Cui VIA quam graditur LACTEA, CAN-
DOR erit.*

Jam pridem auream acceperat clavim à throno SO-
LIS IMPERII Camerarius, ad reserandum portam felici-
tatis: & ut Universo constaret Orbi excellentia glorio-
sa indolis, Clementissimus Imperator, è DUPLO SOL,
pro Consiliis elegit intimis, JOANNEM nempe BER-
NARDVM in Consiliarium Intimum.

Talenta mentis præponderant auri talentis.

Justa bilance ponderavit talentorum pondus, Summæ
Majestatis benignitas, & quia super pauca JOANNES
BERNARDVS servus fidelis inventus est, super multa
constituit, nullo Fortunæ mutandum eventu, qui per aspe-
ram, concedit semitam gloriae.

Paucorum numerum trahit ad sublimia virtus,

Cum nimis angustum gloria calcet iter.

Populi Arcadiæ olim in throno Regali aureum Fortu-
næ simulacrum seu statuam, dextrâ figuram Solis cum
diade-

137

diademate, sinistrâ versatilē Orbis sphæram involutam
liliis, gestantem posuere.

Illustris est indolis symbolum, quæ è suis auro pretiosioribus talentis, publicæ saluti auream parat Fortunam; Solis instar, suæ benignitatis radios, digna coronari, nec dispar candore liliis, virtutum effundit fragrantiam in Orbis palladium.

Conjunctim hæc conveniunt *JOANNI BERNARDO*, qui in folio honoris, utilitati publicæ Glogoviensis Ducatus, sua impendens talenta, auream secundamque procurat Fortunam, solares suæ serenitatis, seu benignitatis, ac plus quam paternæ curæ radios singulis communicat, liliorum gratum odorem, seu è germano animi candore pullulantium affectuum dispergit fragrantiam, quam bona NARDUS potissimum in emeritos effundit.

Heroici spiritus benignitati multæ dotes famulan-
tur, quæ celebriorem reddunt ad gubernationis clavum
sedentem *JOANNEM BERNARDUM*.

Contestabuntur hoc tam indigenæ, quam advenæ, qui planæ frontis serenitatem, placabilem animum, humanitatis officia, lenem naturam, discretionis temperamentum, æquitatem in administratione Juris, temperiem morum conjunctam auctoritati, ac quidquid illustrem animam exornat, abundè satis cognovere.

Ubi flores ac salutares germinant herbæ, illic etiam non raro latitant serpentes, exsipientes venenum per aculeum invidiæ, quæ virtutem assidue comitari solet.

*Quisquis amat diuæ flores virtutis, acumen
Non metuat. Livor rem benè tangit acu.*

Multò præclarior est beneficiorum, quàm trophœorum relinquere memoriam.

Exempla dabimus è genio **JOANNIS BERNARDI**, qui in administratione commissi à **SUPREMO PRINCIPE** muneris, **PIETATIS ac JUSTITIAE**, secundùm **FERDINANDI TERTII** symbolum, amantissimus, Pietatem in choro, Justitiam in foro, pro virili foveat, ac promovet: Zelosus enim Religionis cultor, ac promotor Catholicæ pietatis, eò potissimum collimat, ut in ædibus sacris, quæ DEI sunt domicilia, suâ liberalitate splendorem augeat; quod videre est in urbibus singulis Glogoviensis Ducatus, ubi nullum reperies templum, in quo non Ara, vel aliud præclarum monumentum Insigniis Gentilitiis consignatum, prædicet munificiam.

*Si fileant homines, elingvia saxa loquentur,
Munificæ dotem non tacitura manus.*

Loquetur arcis lararium, mirâ venustate augustum, diverso aurei, argentei ac holosericei ornatûs apparatu instructum, annuis proventibus ad promovendam à **JOANNE BERNARDO** solenni ritu institutam, atque ab Ecclesiasticâ potestate confirmatam devotionem, in quo per dies singulos in incruento sacrificio immolatur hostia DEO in holocaustum, ac quolibet sabbatho Divæ Virginis **DEIPARENTEI** consecrato, per suavem Musicae concentum, ac Instrumentorum harmoniam, litaniae Domus

Domus Lauretanæ augent pietatem: Prudentis est animi indicium, inter prosperos vitæ Fortunæque successus, ad cælestia erexisse sensus, DEI ac Divorum promovisse gloriam, res sacras habuisse in pretio, ac demum suæ pietatis reliquisse vestigia, quæ hic ubertim apparent, & tanti Mœcénatis testantur prudentiam.

Amplum loquetur facellum, in æde sacra RR. PP. strictioris Observantiæ Reformatorum Divi FRANCISCI, pro Defunctis, venusto fornice ac inscriptionibus aureis illustre, ibidem instauratum, ac lateralibus decoratum picturis: nec non suberranea crypta, quâ latitudine, quâ longitudine non inæqualis superstructo facelli ædificio, in quo ære proprio JOANNES BERNARDVS perpetuum unius Presbyteri fundavit sacrificium, & feriâ quintâ cujuslibet hebdomadis, coram recluso sacratissimæ EUCHARISTIAE Sacramento, ejusdem litanias à Musicis publicè decantandas.

Felix, qui mortis suæ, suorumque memor se parat ad viam æternitatis!

Quid haec tenus viris religiosis è sinu suæ munificentiæ exhibuerit, silentio involutum transilio: serenda enim sunt beneficia, segetisque metendi fructus post vitæ terminum.

Quanta verò secundum Ferdinandæi symboli justitiam, præmissâ jam pietate, publicæ saluti præstet beneficia, (ut totum Ducatum cum aliis fileam urbibus) præ cæteris infeliciter exustæ, nunc denuò è cineribus resuscitatæ Regiæ urbes Major Glogovia, & Sprottavia testabuntur, quæ paternam expertæ sunt curam ac solicitudinem,

nem, quārum subsidio, etiam supra pristinum vigorem restauratæ sunt.

Si quis augustum arcis Majoris Glogoviæ per gradus ac tabulata ordinatim dispositæ quadrum contempletur, singularis Architecturæ peritiam, quā, cùm civili, tum militari imbutus est **JOAN'IS BERNAARDI** genius, suspiciet: præsertim, si præter illustria peristromatum apparatu conclavia, triclinium, cuius insigne pavimentum opere Musivarii vermiculato excultum est, ingredi concessum fuerit, admirabitur.

Undique secundūm successionis ordinem, ac denotato vero tam electionis quām obitūs tempore, Duces, Interreges, ac Reges Regni Bohœmiæ, ex architypo expressi coloribus, inter musivas inauratasque sepes, atque ex utroque triclinii vastissimi latere visuntur Capitaneorum Ducatus, (quos inter non pauci reperiuntur Principes) Insignia Gentilitia, usque ad Comitem **JOAN'EM BERNARDVM**, cuius arma in fastigio camini numerum Prædecessorum opere Musivo terminant, penes lateralem inscriptionem:

Siruxerunt nobis alii, Nos Posteritati.

Præprimis in umbilico pavimenti, spatiose inclusus circulo **LEOPOL'DVS**, nunc Rex ordine postremus Regni Cataphractus, puniceo cùm spumâ, tum motu generoso insidet equo, cum inaurata inscriptione

FELIX IMPERIO SVB LEOPOLDE TVO!
annum absoluti operis indicante.

Sub caballo ad vivum expressa se monstrat Regia
Urbs Glogovia, & infra in nigro circuli spatio legitur au-
reis expressum literis,

LEO BohœMIæ sVb LEOPOLDO.

Quæ subscriptio denotat annum **S U M M I**
PRINCIPIIS, in Regem Bohemiæ coronati.

Circuitus circuli aureis exhibet literis integrum
IMPERATORIAE REGIÆQVE MA-
JESTATIS titulum.

In alio comparet scheme, superius Leo Bohemiæ, ac in-
ferius Aquila Silesiæ, subjunctis utrobique cæteris ejusdem
Ducatus Regiis Urbibus; in angulis verò tum Insignia Offi-
cii Regii Provincialia, tum Gentilitia Comitis decussatim
suam fortita sunt stationem.

An non hæc illustria, tam moderno rerum statui,
quam venturis olim successoribus collata beneficia? quibus
JOANNES BERNARDUS relinquit
postoris immortalem SUI memoriam.

Non satis est hanc beneficiorum recensuisse seriem;
plura restant, quæ vigilans Protector Justitiæ, renovato
sanctionum Pragmaticarum ordine, in depresso, subsi-
dium Juris implorantes conferre solet; non privatum ac
proprium, (uti apud plures more consuetudinario jam
receptum est) sed publicum & commune, Jus suum, se-
cundum bilancem æquitatis, unicuique tribuendo, sub-
veniendoque miseris, intendens emolumentum.

Viris Religiosis, virtuosis, eruditis, quos magni aestimati, semper accessus patet: queis aurea clave CAMEARIUS, arcam reserat suæ munificentiae.

Tot, ac tantarum virtutum, ac illustrium talentorum clypeos TURRI Herbersteiniani Stemmatis appendit in perpetuum promeriti honoris sui monumentum, cum inscriptone ad turris fastigium:

NARDUS MEA DEDIT ODOREM SVVM.

Haec tenus uti compertum est,

IOANNES BERNARDVS COMES ab HERBERSTEIN VIXit gloriOsVs.

pLVs VLtra VIreat non steriliIs narDVs,
splretqVe fragrantiaM!

sVb IMPERATORE LEOPOLDO felIX
sVo VIgeat Ingenlo!

FIDELIs DEO, CÆSARI, PATRIÆ,
aVltVs InsignIls, DotetVr honoribVs!

CONSIGLIO & INDVSTRIA VIreat,
PIETATE & IVSTITIA trIVMphet!

LEONI AVstrIaCÆ DoMVs
sVâ Vltâ InserVIat!

LEGITIMè CERTANTI
In aDVersIs propIlli sVbVenIant
sVperl!

Symb. Leo-
poldi.
Symb. Fer-
dinandi III.

Symb.
Ferdinandi
II.

VERVS

VERVs MINISTER CÆSARIS
 DIV fLoreat sVb qVlete!
 PRO DEO ET POPVLO, VIR MAGNI
 PRINCIPIs, VegetVs sVrgat!
 DeVoto plæ VlrtVtIs genlo
 FVLGEAT CÆSARIS ASTRVM!
 PER TOT DISCRIMINA saLVVs,
 NestoreVs VIVat posterIs!
 PLUs VLTRA sVæ VIrentI prosapIæ
 VIltæ parlat spLenDoreM!
 sVperI VotIs faVeant VsqVe In Co-
 roniDeM LaborIs!
 VIVat Interea feLIX
 IOANNES BERNARDVS COMES ab
 HERBERSTEIN!

Symbolum
Ferd. IV.

Symb. Ru-
dolphi II.

Symbolum
Maxim. I.


Symb. Ca-
roli V.




Errata.

- Pag. 22. linea 4. apperatus. i. lege apparatus.
p. 29. lin. 1. inferioris. i. interioris.
p. 34. lin. 24. inquietem. i. in quietem.
p. 35. lin. 9. Albiq; i. Albisque.
p. 59. lin. 7. conscientiæ. i. conscientia.
p. 77. lin. 3. insimæ. i. infimæ.
p. 102. lin. 1. reeundaret. i. redundaret.
p. 103. lin. 22. JONNES. i. JOANNES.
p. 103. lin. 22. LOPOLDUS. i. LEOPOLDUS.
p. 106. lin. 6. sextentesimum. i. sexcentesimum.
p. 111. lin. 21. degnerat. i. degenerat.
p. 112. lin. 28. virtures. i. virtutes.
p. 127. lin. 4. infestris. i. infestis.
p. 128. lin. 1. infestra. i. infesta.
p. 128. lin. 21. adversis. i. adveris.
p. 134. lin. 14. afflectibus. i. affectibus.
p. 136. lin. 27. audiret. i. audiet.
p. 138. lin. 8. nogotiis. i. negotiis.
p. 145. lin. 16. promorito. i. promerito.
p. 145. lin. 18. Friderici quarti. i. Friderici tertii.
p. 148. lin. 6. Huugarica. i. Hungarica.
p. 148. lin. 27. Joannem Jacobum. i. Joannem Josephum.
ibid. in margine. Joannes Jacobus alter. i. Joannes Josephus.
p. 151. lin. 6. EQITUM. i. EQUITUM.
ibid. lin. 23. HERBERTEINIANUM. i. HERBERSTEI-
NIANUM.
p. 160. lin. 5. Huminitate. i. Humanitate.
p. 163. lin. 1. Arciduces. i. Archiduces.
p. 168. lin. 20. inferiores. i. inferiores.
p. 179. lin. 6. HEBERSTEIN. i. HERBERSTEIN.
p. 179. lin. 25. propitium. i. proptium.
p. 180. lin. 11. HEBERSTEIN. i. HERBERSTEIN.
p. 184. lin. 26. possessomem. i. possessorem.
p. 195. lin. 11. gloriosissimi. i. gloriosissimi.
ibid. lin. 13. Vratisliviensis. i. Vratislaviensis.

• 6(0) •





Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

II 388873